IATROCHYMICVS,

Siue

DE PRÆPARATIONE ET COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM CHYMICORVM ARTIFICIOSA

Tractatus

DVNCANI BORNETTI SCOTI:

IN QVO METHODICE, PERSPICVE AC BREVITER, quidquid ad Iatrochymica pertinet, Candidatis Medicinæ ac Philoſophiæ interioris aperitur.

STVDIO AC OPERA

IOANNIS DANIELIS MYLII, WETTERANO HAſſI Medicinæ Hippocraticæ & Chymicæ Candidati

nunc primum in lucem editus.



BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III NA

FRANCOFVRTI

Typis Nicolai Hoffmanni ſumptibus Lucæ Iennis.

M. DC. XVI.

Digitized by Google

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO PRUdentiſſimoq; Viro

DN. IOHANNI MARTINO Baurer,
Inclutæ ac Liberæ Imperialis Reipublicæ Mœno-Francfurt.
Prætori rite electo, confirmato ac digniſſimo,

NEC NON

PRUDENTISSIMIS SPECTATISSIMIS authoritate grauiſſimis Viris

DN. IOHANNI ET DN. NICOLAO BEbingeris, Fratribus Germanis.

OMNIBUS

Pietatis	*Defenſoribus*
Virtutis	*Protectoribus*
Studiorum	*Fautoribus*
Patribus	*Patriæ*

Fideliſſimis.

Dominis ſuis maxima animi obſeruantia colendis.

Tractatum hunc Medicum
in Submiſſæ obſeruantiæ
Debitæ gratitudinis
Officioſiſſimi cultus

ARRHAM

Ad auiternæ Mnemoſynes

ARAM

humiliter ſtatuit

IOANNES DANIEL MYLIUS
Wetterano-Haſſus Medicinæ Hippocraticæ
& Chymicæ candidatus.

Digitized by Google

NOn defuturos arbitror, Vir Nobiliſs Prætor Prudentiſs. voſq; Conſultiſſimi Prudētiſſimiq; *Domini Fautores, Patroni, Affineſq; obſeruandi, qui ob publicam huius aurei tractatus editionem, ſcripti ab* EXCELLENTISSIMO DVNCANO BORNETTO SCOTO, *me pro cornicula Æſopica ſint habituri, ſe alienis ornante pennis. Verum aquilinum hunc inſultum non tam reformido, quã iure ſperno, quia nihil hic mihi adſcriptum volo: Sed potius authori ſuo ſua vendico, & in libertatem palam aſſero, quem iniuria afficerem, ſi inter priuatos parietes eum deliteſcere paterer, aut aucupio nummario ſeruire cogerem. Cuiuſmodi ſunt, qui aliena ad ſe tanquam aues illices artificio pertrahere norunt, vt alieno labore partam ſcientiam in ſe tranſmoueant, proq; ſuis non ſua venditent: ſed & publicata iam ac edita eleuare, pro corruptis traducere, & omnibus modis tanquam ſuſpecta ex manibus Studioſorum excutere conſueuerũt, vt quod dicitur prouerbio, ipſi tanquam luſci inter cæcos ſoli regnent. Indignum, & vere alienis palliatum plumis negotium denudandum potius, quam tolerandum. Itaq; ne Authori noſtro longe illi quidem* DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE *idem accideret, ſed ſua*

con-

Digitized by Google

conſtaret laus ac authoritas, publici eum iuris volui facere, communiq́ꝫ omnium vtilitati accommodare, vt multorum ſtudia & conatus honeſtiſſimi in CHYMIATRIA *prouehantur ac iuuentur. De his igitur pauca mihi apud amplitudines veſtras præfanti, patientes quæſo præbeatis aures. Etenim ſi in* CLARISSIMI SCIENTISSIMIQVE DVNCANI *doctiſſimum* Tr*actatum conuerto oculos, merito [illegible]imum ſubit* SCHENCKIANA *illa querela multo iuſtiſſima, qua in præfatione ad Lectorem præfixa opuſculis quatuor Iatrochymicis Magni Georgii Phædronis Rodochæi ita ſcribitur:* SOLENT quidem nonnulli, ſi quod arcanum nacti ſunt, id intime ſibi ſolis reſeruare, atque ſi in artem raram aliquam, aut recens inuentam inciderint, eam perpetuo ſilentio damnant. Qui quam ſiniſtre bono publico faueant, abunde patet: *Hæc illic. Idem plane* BORNETTO *immerenti accidere poſſet, qui cum ad vſus ſtudioſorũ, ac præſertim Philoſophiæ ac Medicinæ Hermeticæ aſſeclarum, communi omnium bono, Methodo accuratiſſima, luculentiſſimo ſignificatiſſimoque ſtylo, experientia & vſu compertiſſima (quorum non pauca ſub manum meam venerunt) opus hoc inſigne conſignarit, dolendum eſſet ſi inuideretur illud ſtudioſis, nec*

communicaretur, nedum ſi pecuniario quæſtui inſeruiret. Itaque his rebus ire obuiam ſtudui, ſtudioſisq; iuuenibus & Homotechnis, quibus hæc debentur, tanquã experimenta & præcepta ipſo vſu comprobata, palã proponere & in apricum producere volui. Etenim qui harum rerũ expertes quidem ſunt, ſiti tamen non mediocri eas perdiſcendi flagrant, ſitim abunde hinc explebunt, facileque fidi alicuius præmonſtratoris opera adhibita (qualem omnibus per me oblatam volo) iſta conſequentur. Nec opus eſt longis ambagibus, aut verborum inuolucris: manuali demonſtratione, oculariq; experientia eſt opus, vt ſingula fideliter ſenſibus recondãtur. Præſtitit hac in re quantũ potuit nuper BEGVINVS *Gallus non paucis hinc inde comportatis, in methodum redactis & luci commiſſis experimentis, pro quibus illi gratiã habemus: præſtitit inſignem quoq; & fidam operam* MVLLERVS *Doctor & profeſſor Celeberrimus Friburgi: nec paulo maiorem reportauit laudem* D. OSVVALDVS CROLLIVS Wetteranus, *ſympatriota & propinquus meus piæ memoriæ, qui quidem ante ſe omnes viciſſe videri iure poteſt: at non minimam gloriam opinor ſibi vẽdicat transmarimus* DVCANVS, *qui multis paraſangis multos poſt ſe relinquit & methodo docendi & parandorum*

rum

rum Chymicorum ſecretorũ praxi. Atq; vtinam partem quoque transmutationis metallicæ alteram quam author promittit, ad manum haberemus, quæ à Doctiſſimis accepta, multoque labore & ſtudio conquiſita relaturum ſe oſtendit. Nimirum duabus veluti tibiis tota hæc ars pulcherrima niteretur, & è tenebris pluſquam Cimmeriis Pſeudochymicorumque Sophiſticationibus abſque dubitatione emergeret. Sed contentos nunc eſſe nos decet, præſentibus Iatrochymicis, quodque eam partem, quæ mineralia attinet, totam atque integram methodo exquiſita ſit complexus; authori digniſſimam habere & referre gratiam debemus, pro hac illata luce nõ more promiſſorum hiatu magno multa pollicentium, parum reipſa præſtantium, ſed vere, candide, ſolideque omnia ſua nobis communicanti: ô rarum hoc æuo decus, ô laude & admiratione dignum, ſed ne vino vendibili (vt fertur prouerbio) ſuſpẽdamus hederam, prolixius de authoris præclare ſumpta opera non eſt quod dicamus, cum ſatis ſe opere ipſo commendet omnibus. Publica quidem vtilitati tantum conſultum erit, quantum quiſque ſtudii & diligentiæ huc contulerit. Ad vos igitur Viros NOBILISSIMOS *&* AMPLISSIMOS, *animo licet pauliſper hæſerim ſuſpenſo, me conuerto, dum nefas fore*

cogi-

cogito illos apud quos hactenus ſtudiorum fama non inclaruiſſem audacter compellando offendere. Sed tanta eſt interdum tempeſtatum & fluctuum, imo procellarum vis & ἐνέργεια, vt & optimos & peritiſſimos nautas à recto nauigationis curſu per vada, per ſaxa in rapidum gurgitem protrudant , è quo non facile niſi forte anchora proiecta ſeſe expedient. Ego namque licet ab incunabulis, me totum ſtudiis quidem addixiſſem informandũ, tamen non ſecus ac ſegetes lætiores in altum ſeſe attollentes, ab imbribus & procellis ſæpiſſime minas cœpi, quo minus ſtudiorum ſemen producere valuerim, interim neſcio quibus moribus hoc temporis ſucceſſu indies erga ſtudia animoſior & vegetior euado, imo perfero & obduro, vſque tandem abeunt nubila vt ſequatur Phœbus. Cunctantem igitur non veſtra tantum Excellentia ac humanitas, quæ ſingularis beneuolentia, quæ eximia ad hoc propoſitum inſtigauit. Hæſitantem vero patriæ amor, proximi vtilitas, quibus nihil me non debere, haud inuitus fateor incitauit.

Suſcipite ergo veſtris quibus vos Viri abundatis & polletis virtutibus, hunc à me alienum tractatum animique mei obſeruantiam & gratitudinem, interea coniicite: dum loci & temporis conditio (quæ vtinam pro

huius

Digitized by Google

huius ſtudij & aliorum conſimilium euentilatione, appareret optata) aliud quoddam, meo genio & ingenio directum offerre permittat.

Suſcipite rogo me vna, in veſtrum & fauorem recipite. Viuite ac Valete nunc viri NOBILISSIMI *& vos viri* PRVDENTISSIMI, *valete diu incolumes, pro gloria Dei, pro ſalute Patriæ publica, iterum viuite omnes in Neſtoreos an. Amen. octauo die Septembris ex muſæo meo, Anno 1616.*

Amplitudin. veſtr.

obſeruantiſsimus

Iohannes Daniel Mylius VVetteranus, Med. Hippocrat. & Chymicæ Candidatus.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

LERNEAM illam, Lector beneuole, quam monſtrum Poetæ finxêre Hydram, tot fuiſſe capitum haud crediderim, quot technarum atq; fallaciarum Medicinæ circumueniendi ſtudioſos Myriades, tam ab illis Galeno, quam ab his Theophraſto qui adhæreſcunt, iamdudum ſunt inuentæ atque excogitatæ: dum illorum nonnulli αἰσχροκερδίας ἕνεκα Galeni eiuſdemque aſſeclarum opera fucatis & adulterinis titulis conſpuerunt & conſperſerunt, imo quod maximum, totos codices (puerorum more) ex latino in Germanicum tranſtulerunt idioma, optimeſcientes, & artis terminos & compoſitionum nomina fere omnia Germaniſmum plane reſpuere. Vnde homines Theoricæ medicinæ imperitos non ſolum in ſummum corporis diſcrimen deducunt, verum etiam æternas infamiæ maculas S. Facultati Medicæ inurunt: ô tempora! ô mores veterum! vos viros rei Medicæ peritos pro diis habuiſtis, coluiſtis, artem verò hanc ex iis prognatam dixiſtis, quod Magnus ipſe Apollo ſequentibus teſtatur verbis:

Inuentum Medicina meum eſt, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Vnde & veteres illi prudentia præſtantes, Medicis *a* c. tua nos extr. de homicid. c. ſententiam. c. non magno c. fin. extr, ne clerici vel monachi, Damh. in prax. crim. c. 77. n. 27. vt dignitas ſeruaretur ſalua & integra, clericis, *b* Cuiac. in d. obſ. lib. 17. c. 27. Seruis, *c* cum ſit infam. Bald. in l. 4. in pr. ff. de liber. & poſthum. idem in l. bonæ fidei C. de reb. cred. Mynſ. cen. 4. Spuriis, Iudæis, *d* l. 1 §. 1. ff. de extraord. cognit. l. 1. ff. de decret. ab ord. faciend. l. 9. C. de profeſ. & Med. Circumforaneis, praxi exercenda interdixerunt, imo & magna *e* Gothofred. in l. 1. §. 5. C. de commun. ſeru. manumiſ. l. vlt. ff. de munerib. Gothofred. in l. 6. Medicos. C. de profeſ. & med. lib. 10. Weſ. in parat. ff. de vacat. mun. n. 4. l. 6. §. 2. ff. de excuſat. §. item Romæ Inſt. de excuſat. tutor. & curat. ſtipendia & l. 1. §. 3. ff. de extraord. cognit. vid. Cuiac. obſer. lib. 17. c. 27. priuilegia in illos contulerunt, quod notulis hiſce videre eſt. Iam vero:

Fingit ſe Medicum quiſquis Idiota, prophanus,
Iudæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus.

Quanta

Quanta etiam, beneuole Lector, quanta nonnullorum Cacochymicorum & philoſophaſtrorum, in excudendis libris hodie ſit fallacia & nequitia vix imo ne vix dici poteſt, dum videlicet non ſolum aliorum libros, canum more ignota allatrantium magno atræ bilis impetu, inſectantur; verum etiam ſi quæ forſitan ex magno illo medendi Galeni Oceano arripuerunt, confractis ſuperciliis & criſpatis naribus, vſibus ſuis falſo tamen prætextu clanculum ſubducunt, proprium vero ſi quem habent fœtum, neſciunt quibus laudibus, nominibus, velint ſublinere, quæque naturæ ſecreta prædicarier, cum tamen ne à janua, quod dicitur, veram chymiam ſalutarint, ſed λογομαχίᾳ tantum alacrem lectoris curſum retardant, tandem ollas & putamina præbent. Hæc omnia, beneuole Lector, ab Authore hoc doctiſſimo atque experientiſſimo prorſus aliena ſcito, vt qui tibi verum naturæ ergaſtulum aperit, ipſiuſque ſecreta luce meridiana clariora reddit; inſtrumenta illis inſeruientia, quæ in legitimo operandi modo conſiſtunt, bona fide & dexteritate præfigit, & vt breuibus dicam:

Torquet ab obſcœnis iam nunc ſermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis & inuidiæ corrector & iræ
Recte facta, refert orientia tempora notis.
Inſtruit exemplis inopem ſolatur & ægrum.

Boni igitur erit & ſapientis, Authoris & illius qui in diuulgando lapidem mouit, ſtudium & beneuolentiam dum grauiora ſequantur boni & æqui conſulere, & ad alia quæ præ manu ſunt conficienda allicere. Quod ſi grata hæc mente acceperis, facile ipſis calcar addideris.

Hiſce bene viue & vale.

In Metacheireſes Iatrochymicas
Excellentiſſimi

DVNCANI BORNETTI

SCOTI,

RAPHAELIS EPLINI ICONII, D.

Epigramma.

QVis Scotum σκοτίαν? Tenebras quis luce carere
Aſſerat? abſcurâ claret in arte SCOTVS,
DVNCANVS! Quis enim variarum nomina rerum
Attendens, Chymiæ deliciaſque ſacra,
Vel methodi leges, vel lactea verba docentis,
Te punctum, BORNETTE, *omne tuliſſe neget?*
Salue ô lux Scotiæ; Codex tuus exeat alter,
Promat & aurifera dummodo vellus ouis.
Alter Iaſon eris, qualis SIDONIVS, *eſtque*
RAMSAEVS, quales ſunt aliique Duces.
Aut etenim fallor, mecumque hic fallitur Orbis,
Debitor aut Scotiæ muneris huius erit.
Ferrea nunc ætas eſt: ferrea deſinet ætas,
Aurea cum ſurget, Mars & Apollo coit.
Tunc Lapis abſciſſus cœlo dominabitur Orbi,
CHRISTVS, *& in* CHRISTO *cuncta ſecunda fluunt.*

DE

DE PRÆPARATIONE ET COMPOſitione Medicamentorum artificioſa,

TRACTATVS SINGVLARIS DVNCANI BORNETTI Scoti.

ALCHYMIA (vt alteram eius partem de metallorum tranſmutatione taceam) quatenus in Medicina vſum habet, rationem & modum optime præparandi Medicamenta docet, id eſt, pura ab impuris ſeparare, alienas qualitates alterare, aut prorſus tollere, fixa volatilia, & volatilia fixa (vtroque enim modo peccant medicamenta) reddere, & omnia denique naturæ magis familiaria, & amica efficere, vt melius & minore cum periculo corpus, quod medicinæ proprium eſt, permutare poſſint. Quare cum tanta ſit huius artis præſtantia, non immerito artifices eam celarunt, & aditus omnes imperitis ademerunt, vt nulli, niſi in principiis inſtructo, pateat acceſſus.

Explanaturus igitur huius artis terminos, in quibus totum latere myſterium videtur, inprimis neceſſarium duxi totum tractatum in tres partes ſecare. Sic enim ſtudioſi melius percipient, quid velint in omnibus chymici, minimeq; laborem perdent.

In prima itaque parte procemij loco de quibuſdam generalibus, quorum neceſſarius eſt vſus, & frequens erit in reliquis mentio, agetur. In ſecunda declarabitur plena terminorum explicatio. In tertia oſtendetur eorum vſus in praxi & medicamentorum compoſitione.

PRIMA PARS.

IN proœmio explicabitur materia circa quam Alchymia verſatur: inſtrumenta, quibus tanquam mediis vtitur; & quorundam vocabulorum ſignificationes.

1 Materia circa quam verſatur Alchymia, vt inde medicamenta eliciat, triplex eſt: animalia, vegetabilia & mineralia.

Animalia ſunt triplicia, terreſtria, aerea ſeu volatilia, & aquatilia.

2 Vegetabilia ſunt, quæ per infixam radicem alimentum ex terra trahunt, & ſunt arbores, frutices, omneſque herbæ, quæ à Paracelſo creſcentia dicuntur, quia quotannis marceſcunt & renaſcuntur.

3 Mineralia ſunt, quæ in viſceribus terræ, ex miſtione eius & aquæ ſecundum diuerſam rerum proportionem in diuerſas formas ac ſpecies concreta reperiuntur.

Eorum tria ſunt genera: Metalla, media mineralia, & lapides.

Metallum eſt corpus foſſile, natura liquidum, vt Mercurius: vel durum, quod tamen vel lique fieri poteſt, vt aurum, argentum, ſtannum plumbum, vel molliri vt ferrum.

Media Mineralia ſunt Marchaſitæ omnes, vt aurea, argentea plūbea, ſtannea, ſtibium vel antimonium, Magneſia, tucia, auripigmentum, arſenicum, alumina, ſulphur & id gens alia. Media dicta, quia mediam teneant naturam inter metalla & lapides, vt metalla liqueſcunt, ſed malleo non ducuntur: & vt lapides diſſiliunt in fragmenta.

Lapides prorſus differunt à metallis, quod neq; liqueſcunt, neque malleo ducuntur.

II. Succedit eorum conſideratio, quibus tanquam mediis vtitur, vt ex prædictis medicamenta prouocet.

Ea duo ſunt, inſtrumentum, & locus.

Inſtrumentum Chymicum proprium (vt etiam naturæ) eſt ignis non ſtricta illa ſignificatione acceptus, quo nos vti ſolemus pro viſibili tan-

bili tantum, ſed pro omni calore, qui ignis vim oſtendit, taleſq; effectus producit.

Ignis eſt duplex: materialis & eſſentialis.

Materialis ignis eſt, qui operatur per flammam & ardorem.

Eſtque duplex: ſiccus, & humidus.

Siccus ignis eſt, qui agit in obiectum, ſine intermedio humore.

Eſtque duplex: Nudus vel cum medio.

Nudus ignis ſiccus eſt, quando materia vel in ſuo vaſe, vel abſque eodem nudo igni apponitur.

Eſtque trium graduum. Primus eſt is, qui ſufficit redigere in actum operationem.

Secundus eſt is qui eum actum cum paruo augmento cõtinuare & finire poteſt.

Tertius eſt ignis reuerberatorius ſummus nimirum omnium, qui non tantum omnem humiditatem è corpore pellit, verum etiam corpus in cinerem redigere poteſt.

Reuerberatorius dicitur à forma operationis, quia perficitur opus hoc in fornace ita fabricata, vt non tantum tranſeat & aſcendat ignis, ſed potius flamma materiam præparandam verberet: Vnde & reuerberatoria fornax dicitur.

Hic obſeruandum me tantùm de igne ſublimatorio, & quocunque fortiori loqui, ſub quo omnes tam ſiccos quam humidos, quibus ijdem gradus competere poſſunt intelligi volo: quaſi hic de ſicco tantum ſit ſermo, cum alij fortes aut mediocres ignes eandem graduum habitudinem & numerum obſeruent.

Eſt enim alius ignis (qui vel ſiccus vel humidus etiam eſſe poteſt) qui) qui ſuos gradus non minus habet, quam prædictus, nulla tamen operatione actionis (cum ſenſum fere fugiat) obſeruando, ſcilicet caloris quadam temperie, ad externum aliquod obiectum collatione facta, qualis maxime eſt digeſtorius ignis, cuius quæuis operatio in Elementis adeo lenta ſit vt ſenſus lateat, gradus tamen alicuius obiecti externi comparatione reguntur, augentur, & remittuntur: Quorum primus gradus calori innato & naturali comparatur, qui manifeſtius deſcribitur in cubitu gallinæ excludentis pullos, [illegible] calore Solis menſe Maio vel Iunio, & ſic gradatim inſenſibili fere mutatione ad quartum vſque gradum deſcenditur.

Hic præterea notandum, hanc gradus ignis diſtinctionem per ex-

Digitized by Google

terna obiecta, non tantum in digeſtorio igne obſeruari: Sed etiam aliquando in fortiori: Vnde illæ directiones toties audiuntur, ſit ignis tam fortis, vt manum intra arenam continere poſſis, vel vt plumbum in fluore retineri queat.

Siccus ignis cum medio eſt, cum materia præparanda in primo vaſe non apponitur nudo igni; ſed imponitur alij vaſi interpoſito inter eam & ignem, tum illud vas poſtea repletum eſt alia materia, vel eſt vacuum.

Si vacuum tum materia in ſuo vaſe imponitur vaſi vacuo & omnia ſpiramenta luto claudūtur, & hinc dicitur ſtupha ſicca vel balneum ſiccum: vſum habet in iis quæ requirunt fortiorem ignem, quam eſt balnei calor, & tamen minorem quam eſt calor arenæ cineris & ſcobis ferri.

Si vas repletum fuerit, tum diuerſas accipit appellationes ſecundum materiam qua impletur, nec non tertius gradus, quorum infimus dicitur ignis cinerum propter interpoſitionem cinerum, ſecundus arenæ, tertius ſcobis ferri.

Humidus ignis eſt cum interpoſitio vaſis aqua pleni, vnde balneum marinum quaſi maris dicitur, & notatur apud autores hac nota B. vel B. M.

Eſtque duplex: balneum immerſionis quando vas immergitur aquæ, & balneum roris vel vaporis, quando vas tantum recipit vaporem balnei calidi.

Hæc dicta ſunt de igne corpus vel materiam aliquam manifeſte immutante & ſeparante, vt eſt ignis deſtillationis & reuerberationis dictus, qui non minus ſuos habet gradus: apud nullos tamen autores definitur, niſi per ſimilitudinem aut comparationem, quorum infimus deſcribitur incubitu gallinæ pullos excludentis, & ſic gradatim aſcendendo.

Poſtea in vſu ignis materialis hoc obſeruandum, vt curent artifices vaſa calida (ſi vitrea fuerint) ab omni frigore defendere. Siue enim vel aquę frigidæ minima gutta, ſiue alia res ſicca frigida vt ferrum, lapis, pannus, &c. Siue aer frigidus ſubito vaſa vitrea attigerit, rumpe[illegible]

Vaſa etiam periclitantur extracta è balneo calente etiam locata in cineribus calidis, niſi prius diligenter ſiccentur panno calido.

Cæterum omnino periculoſum eſt ex cineribus ad balneum transferre

ferre, quia patiuntur maiorem mutationem: & omni ſubita & contraria mutatio periculoſa eſt.

Eſſentialis ignis eſt, qui operatur prout ignis, cum tamen ignis non ſit, nec ignis eſſe percipiatur.

Fit autem externe per medium, aut immediate ipſi materiæ elaborandæ apponitur.

Si externe rei admotus fuerit, tum acquiſitio calore operatur, eſtq; fimus equinus & ſimilia.

Si immediate apponitur, tunc naturali eſſentia & virtute propria brout violentiſſimus ignis operatur, vt cauteria omnia potentiores aquæ fortes, aquæ ſtygiæ.

Cæterum in tali igne obſeruandi gradus ſunt, quos præſcribere impoſſibile eſt, ſed tantum artificis diſcretioni committuntur.

Non enim idem gradus ignis requiritur ad ſublimandas aquas & ſpecies. Quare hoc in materiali igne obſeruandum eſt, vt gradatim intendatur calor: in Eſſentiali vt eligatur ignis idoneus ad talem vel talem materiam elaborandam. Non enim idem inſeruit auro & argento. Nam ignis eſſentialis ſecundi gradus ſolum inſeruit Mineralibus, vel ſaltem vegetabilibus lapidoſis.

Locus Chymicus eſt, id quod mediate vel immediate recipit materiam elaborandam, vel inſtrumentum per quod elaboratur.

Vnde loca duplicia: Vaſa & fornaces.

Vaſa ſunt loca quæ ipſam capiunt materiam, idque mediate vel immediate.

Si mediate, tunc ſunt illa vaſa, de quibus ſupra in Inſtrumentis, quæ recipiunt aquam vel cineres.

Si immediate materiam capiunt, duo prorſus circa ea conſideranda ſunt: Forma, & materia ex qua.

Quod ad materiam attinet, componuntur præcipue ex vitro, argilla, auro, argento, ſtanno, cupro, plumbo, ferro & ligno; de quibus non plura, quia habentur paſſim apud omnes autores in quotidiano vſu.

Quod ad formam nec longus ero, tantum communiores attingens, quæ maxime & neceſſario in vſu ſunt, quæ mihi videntur nulla ratione melius cognoſci poſſe, quam enumeratione operationum, quibus inſeruiunt ſingulis ſua vaſa applicando.

Sunt igitur hæ maxime operationes: Deſtillatio, Sublimatio, Cal-

A 3 cinatio,

Digitized by Google

cinatio, euaporatio, fuſio, quæ omnes vt rite perficiantur, requirunt ſua propria inſtrumenta ſeu vaſa.

Deſtillatio per aſcenſum requirit cucurbitam rectam, ſiue vt quibuſdam placet, matulam vel ampullam ex materia rei operandæ melius inſeruiente cum ſuo pileo roſtrato appoſito: Alembicum vocant.

Deſtillatio per latus requirit ampullam curuatam (vnde etiam retortum nomen habet vel cornu Muſarum) adiecto tamen receptaculo. Hæc eſt tantum Mineralium.

Deſtillatio per deſcenſum requirit ollam vel vitrum lati fundi, & anguſti colli, cum cribro & crate ferrea orificio appoſito, ne caput mortuum deſcendat in receptaculum.

His omnibus apponenda ſunt ſua receptacula ſecundum diſcretionem artificis maxime recipientis materiam elaborandam.

Nam quidam requirunt neceſſario magna receptacula, ſiquidem parua rumperentur vt oleum vitrioli Antimonij, &c. quædam parua vt aquæ communes & ſpecies.

Sublimatio omnis requirit recta vaſa, omniumque appoſito pileo roſtrato cum humorem extractū excipere volumus, nonnunquā alio operculo huiuſmodi vaſa omnino ex vitro vel argilla præparantur.

Calcinatio, quæ & reuerberatio dicitur requirit lata vaſa inſtar patinæ: in qua materia calcinanda craſſe inſpergi non debet.

Nam non tantum tardabit opus, ſed etiam inæqualem calcinationem efficiet. Atque huiuſmodi omnino ſunt ex argilla vel vitro argilla obducto, & nonnunquam panno late obducto.

Euaporatio, ſi ſalium fuerit, requirit vas bene humile & lati orificij prorſus, ex metallo vel vitro Si alterius materiæ non adeo penetrabilis, vas vitrearum fictile fortaſſis inſeruiet.

Circulatio habet vas Pellecanum dictum: ſi deſit ſolemus artificialem inuenire & formare imponendo alembicum cæcum (ſic dictum quia roſtro caret) cucurbitam & omnia ſpiramenta luto obſtruendo.

Fuſio præcipue fit in tigillo aurifabri vel cochleati ferreo, aut ſaltem in tali vaſe, quod ſupra dictum eſt in calcinatione.

Hæc omnia maxime communia ſunt vaſa, quibus artifex carere non poteſt, ſunt tamen & alia multa, quæ his primo cognitis facile inueniuntur.

For-

Fornaces ſunt loca materiam elaborandam, nec enim inſtrumentum Chymicum recipientia, fouentia, regentia & præſeruantia ne cito diſſipetur.

Cum enim ignis non tantum celerrime depaſcat, ſed & proprium pabulum cito abſumat, vi coerceri & in primis in artificialibus ſeparationibus regi opus habuit. Niſi enim imperio artificis quaſi ſubiciatur; nihil recte facit. Vnde inuentio fornacum initium accepit, per quas ignis ſecundum animum artificis regitur.

Earum igitur maximus eſt vſus, & ſine quibus nil perfecti dare poteſt effectum artifex.

De quibus non multa, quia artifex aliquas nouas inuenire, aut antiquas ſecundum animi ſententiam alterare poteſt. Vnde nulla recta forma tradi poteſt; & præterea deſcriptiones habentur apud ſcriptores paſſim, quas tamen vt intelligatis, hoc vnum adiungo de ſtructura fornacum, quia omnis fornax vel actu vel potentia tres habet partes: Ergaſtulum, focum, & coniſterium.

Ergaſtulum eſt locus fornacum, qui recipit materiam elaborandam cum ſuis vaſis inſeruientibus.

Focus eſt pars fornacis quæ recipit ignem.

Coniſterium à foco vel crate ferrea, vel alio idoneo fundo foraminibus perfuſo, partim vt cineres deſcendant, qui alioquin ignis vim obtunderent, partim vt aer intrans per coniſterij oſtiolum ventilaret ignem.

Poſtea cum vt dixi fornaces ignem regant, & foueant, neceſſario regiſtra habeant, quibus intenditur aut remittitur calor per omnes gradus, vt res exigit.

Regiſtra autem ſunt foramina in ſuprema parte fornacis, per quæ ignis ventilatur, vel reprimitur, & quaſi ſuffocatur impoſito operculo vel extracto.

III. Quorundam vocabulorum ſignificationes.

Menſtruum eſt liquor aliquis effuſus ſuper materiam ad extrahendam tincturam.

Tinctura eſt menſtruum videlicet colore & eſſentia illius materiæ tinctum & coloratum.

Capitellum, id eſt lixiuium ſpecialiter dicitur menſtruum tinctum vel inductum ſale ex cineribus extracto.

Caput mortuũ, fæx, vel magma eſt corpus relictum poſt extractum tincturæ vel eſſentiæ per menſtruum vel per deſtillationem.

Digitized by Google

Denique illud dicitur generaliter caput mortuum, quod relinquitur poſt alicuius extractionem, quod ſolum pro tempore quærebamus.

Vehiculum, vt notatio nominis indicat, eſt quod ſecum aufert, abducit & auehit à corpore (à capite mortuo relicto) quod deſtillandum vel ſublimandum erat.

Eius vſus in tincturis eſſentialibus, quæ ad maiorem ſubtilitatem & præſtantiam deſtillandæ ſunt, quod fieri non poteſt ſine vehiculo. Deinde eius vſus inprimis ſumme neceſſarius eſt in deſtillandis oleis aromatum, fructuum, herbarum & omnium vegetabilium.

Cum enim oleum omnium vegetabilium admodum igni ſit obnoxium & proprium eius pabulum, niſi adderetur vehiculum leue & natura ſua ignem effugiens & oleum vna ſecum abducens priuſquam ab igne corrumperetur, totum abſumeretur, & laborem luderet artifex.

Eſt igitur vehiculum ſpecialiter aqua vel ſpecies: menſtruum etiam ſeparatum à tinctura alioquin vehiculum dicitur.

Eſt etiam vehiculum ſiccum, quod ſolum Mineralibus inſeruit Aquila volans, de quo poſtea.

Menſis Chymicus vt & Philoſophicus & Medicus eſt 40. dies.

Diploma eſt vas duplex; vnde pro diplomate ſolet aliquando ſcribi in vaſe duplici, id eſt in vaſe immediate materiam capiente & balneo, ſemper enim B. M. intelligitur diploma.

Proceſſus Chymicus ſignificat formam operationis, eiuſdemque continuationem vel repetitionem.

SECVNDA PARS.

DE TERMINIS CHYMICIS.

QVEMADMODVM materia ex qua medicamenta extrahuntur & præparantur, duobus modis peccat, Impuritate, eaq; vel ſubſtantiæ vel qualitatis: Vel duritie & corporis contumacia: totidem viciſſim modis huic malo occurrunt Chymici, ſeparatione nimirum qua omnes impuritates auferunt, & alteratione, qua non tantum ſubſtantiam tractabilem, vt calori natiuo cedat, reddunt, ſed etiam qualitates immutant. Cum autem malignitates & impuritates plerumq; per totum corpus ſint diſperſæ, omnino neceſſarium eſt ſub-

ſtantiam

ſtantiam ipſam ſeparare eiuſdemque continuitatem corrumpere, ſiquidem haud aliter ſubſtantiæ impuritates purgare & qualitates per totum corpus diſperſas alterare, aut denique inſanabiles tollere licet. Quod cum ſit magnum artificium, hoc effectum dare & naturæ potius quam artis opus eſſe videatur: non immerito magnis ſtudiis & longa experientia Philoſophi multum & ferme infinitas operationes naturam omnes imitantes inuenere.

Quia tamen hic campus eſt longe vberrimus, artifices quotidie nouas ſuo propoſito inſeruientes operationes inuenire videmus, nouas dico numero non ſpecie: ſiquidem Philoſophi tam diligentes naturæ ſcrutatores fuere, vt nullum ferme opus ſpeciale poſteritati inueniendum reliquerint, cuius inuentione laudem ſibi ac gloriam compararent. Nihilominus tamen vt dixi ab induſtriis artificibus iſta quotidie inueniuntur quæ facile tyronibus imponere poſſunt, tanquam ars perfecta adhuc non eſſet, nec præceptis ſuis ſatis ornata: Vnde facile animum deſpondere poſſunt, impoſſibile eſſe opinantes eos ad imperfectæ artis perfectam cognitionem peruenire poſſe, ſcilicet vt omnis ſcrupulus & dubitatio exuatur, omnes huius artis operationes quæ ſunt, aut quæ eſſe poſſunt, ad duo capita reuocantur corruptionem ſcilicet & generationem; ita vt vtraque latiſſima ſignificatione accipiantur. Sub corruptione, quæcunque ad continuitatis corruptionem tendant, comprehendunt. Sub generatione quæcunque vel ad ſubiecti vnionem & regenerationem nouæ formæ vel qualitatis inductionem pertinent.

CAPVT I.

De Corruptione.

Corruptio eſt operatio Chymica, compagem corporis & continuitatem quibuſcunque modis diſſoluens & corrumpens, impuritateſque omnes ſeparans, donec ad eum perfectionis gradum & puritatis deuentum fuerit, quam ſibi tanquam materiatum & noui operis fundamentum propoſuerit artifex.

At cur dico gradum? quia diuerſi ſunt gradus Medicinæ, vt extractum, oleum, ſublimatum, flores, de quibus in tertia parte, qui omnes certe non requirunt eundem gradum perfectionis. Quandoquidem etiam corruptio lege naturæ præcedit generationem, vt

tritura corporis in puluerem in mortario, cui frequenter inſeruiunt duæ priores.

Læuigatio (vltimus gradus in ſubtiliſſimum puluerem ducendi) eſt colliſio corporis ſuper marmore cum lapide molari dicto. Hic obſeruandum limationem & raſionem plerunque inſeruire pulueriſationi in animalibus & vegetabilibus, nunquam vero in mineralibus. Nulla enim mineralia cruda vel in minimas partes reducta pulueriſationi cedunt, quamuis aliquando læuigationi, non tamen ſine additamento, vt in calcinatione audietis.

Inciſio eſt corporis in minimas partes certo inſtrumento vel cultello facta diuiſio.

Vſum proprie habet in herbis, radicibus, fructibus & huiuſmodi.

Contuſio eſt partium contundendo conquaſſatio.

Vſum habet præcipue in herbis recentibus, pinguibus & ſimilibus.

Granulatio eſt corporis in granula comminutio.

Eſtque proprie metallorum & variis modis perficitur.

1 Metalla fuſa guttatim in aquam mittuntur, cuius vi repercuſſa in granula deſiliunt.

2 Nonnunquam ſcopæ è viminibus exilibus aquæ imponuntur, vel tabella aut colatorium anguſtiſſimè pertuſum, perque metallum fuſum aut liquefactum perfunditur.

3 Vel in pila lapidea ignito piſtillo indeſinenter agitantur granula.

4 Raro cribro ſeparantur & opus repetitur.

5 Vel ſaltem inter manus in olla anguſti orificij & bene operta fuſum metallum in granula conuertitur vt in plumbo..

Laminatio eſt corporis in paruas & tenues laminas perductio, cuius vſum audiemus in calcinatione.

Si corpus fluidum reddatur, diſſolutio dicitur generalis.

Diſſolutio eſt operatio, qua corpus prius ſolidum & cohęrens fluidum redditur, idque vel cum calore vel ſine.

Si cum calore, tum vel nudo igne vel cum medio.

Si nudo igne eſt metallorum, & fuſio dicitur proprie granulationi ſæpe inſeruit, vel metallorum purgationi.

Vel eſt mediorum Mineralium, vt ſulphuris, Antimonij, & cæt.

Digitized by Google

tunc vel incorporationi inſeruit, vel purgationi, vt nimirùm combuſtibile & volatile ſulphur in halitum diſcedat.

Tunc ſolent artifices ſalem petræ', Ammoniaci vel ſulphur & ſimilia leuia volatu, quæq; nihil operi obſint, addere, vt purgationem accelerent.

Vel eſt ſalium Mineralium vt ſalis petræ, & tunc purgatio & fixio quædam quæritur:

Vel eſt animalium vt pinguedinũ & adipum, tunc depuratio quæritur per colorationem vel ablutionem, vel ſaltem vt cum aliis incorporentur.

Vel eſt vegetabilium vt gummi, lachrymæ, arborum: tunc ſolent addere aliquid liquoris ne comburantur, & purgatio per colum vel incorporatio cum aliis quæritur.

In his omnibus liquatio propriè vocatur.

Si fuerit cum calore mediato, tunc hoc medium plerumque eſt B. M. & eſt oleorum mineralium, aut ſalium mineralium, vt ſalis, aluminis, & cæt. quæ nudo igni ſine periculo aduſtionis non admouentur.

Hæc diſſolutio in B. M. iſtis propria eſt, quamuis quædam ex prædictis ita diſſoluantur, non tamen neceſſario.

Eſt etiam hic peculiaris diſtinctio amalgamatio Mercurij & Solis. In balneo enim fluit Mercurius inſtar aquæ, quod philoſophi diſſolutionem vocant in cineribus coagulatam, ita vt redeat ad propriam conſiſtentiam.

Atque iſtæ diſſolutiones tendunt ad fixionem, vt aquoſitas vel nimia corporis humiditas diſſipetur & euaporetur, ipſaq; materia craſſior & magis fixa euadat.

Si ſine calore diſſolutio fuerit, tunc vel erit cum menſtruo vel ſine.

Si cum menſtruo, vſum habet in ſuccis inſpiſſatis & ſalibus impuris vel præparatis, vt ſeparentur impuritates, vel vt cum aliis melior mixtio & incorporatio fiat, & dicitur diſſolutio in tali vel tali menſtruo.

Si ſine menſtruo fiat diſſolutio, deliquium vocatur, quod eſt concreti diſſolutio per humidum aerem ſeſe in corpus inſinuantẽ vſumque habet in ſalibus, calcibus & iis corporibus, quæ aliquid ſalis admixtum habent.

Si in

Si in ſalibus tunc totalis erit diſſolutio.

Si in calcibus, erit totalis ſalis à terra mortua in aquã diſſolutio. Inſeruit tunc purgationi ſalium. Frequens enim euaporatio vel deſtillatio & per vices diſſolutio ſequatur, donec liberatur ſal ab omni terreſtreitate & Chryſtallinus fiat. Vel oleum quæritur, vt in diſſolutione ſalis, ſulphuris & mineralium ſalium.

Si in iis fuerit, quæ aliquid ſalis in ſe habent:

Vel eſt vnius tantum naturæ, quæ interna ſua ſubſtantia aliquid ſalis habet, quod in præparatione vel compoſitione aliquando acquiſiuit, vt in Mercurio ſublimato.

Eius vſus eſt, vt diſſoluens ſecum vna diſſoluat & trahat aliquid de natura & eſſentia corporis, vt in butyro vel oleo Mercurij ſublimati apparet.

Vel eſt plurium, aut vnius corporis quod extrinſecus adiectum aut admiſtum habet vel ſalem, vel aliud corpus quod ſalem in ſe continet, & tunc non tantum ſal diſſoluitur, ſed ſecum vna corpus diſſoluit & corrumpit, cui admiſcetur.

Magnus & creberrimus eſt vſus huius operationis in præparationibus mineralium, cum eorum corpora corrumpit, & viam parat ad extractionem oleorum & tincturarum, vel eſſentiarum, quamuis ſæpe vtamur pro eſſentiis aquis fortibus.

Forma proceſſus in operationibus prædictis, quarum proceſſus ſuis operationibus reſpondent, per proprias figuras ordine talis eſt.

1 In ſalibus & calcibus læuigantur ſuper marmore 2. vitro lato induntur (nam fictile penetrat) & in cella locantur ad diſſolutionem: vel vitrum cum materia locatur in aqua frigida, vel guttulæ aliquot aquæ ad opus accelerandum inſperguntur. Solent etiam in veſica incluſæ ſuſpendi in vaſe aqua pleno, vel puteo vel adhuc cum præparant finire opus, veſica hæc ad calorem bullientis balnei ſuſpenditur. Si vnius rei aliquid ſalis in interna ſua ſubſtantia habentis, tunc prius læuigata inſpergitur marmori vel vitreis patinis & locatur in colo, ita vt guttatim deſtillatio aſcendat in receptaculum infra locatum, vnde deſtillatio per tabulam vocatur. Si plurium vel vnius rei tantum habentis extrinſecus adiectum huiuſmodi corpus, vel aliquid ſalis, tũc prius læuigatur & idoneis vaſis inſpergitur, ſicque in cella locatur, vſque ad diſſolutionem in craſſam & pinguem formam inſtar pul-

Digitized by Google

tis, & tunc deſtillatur vel ſublimatur, de quo ſuo loco.

In iſta operatione hoc primum obſeruandum eſt, quod nullum deliquium eſſe poſſit ſine ſale: Deinde, quod vaſa quæ ſalium diſſolutioni inſeruiunt, talia ſint quæ penetrari non poſſint. Huc vſque de primis corruptionis operationib. ſequuntur ſecundæ & vltimæ quæ corruptionem perficiunt & abſoluunt.

Secundum genus Corruptionis.

Secundum genus Corruptionis continet ſub ſe varias operationes, quæ ſine magna confuſione ad certa genera reuocari non poſſunt: ſatius itaque duxi ſingulas per ſe perſpicue tractare.

Tales ſunt putrefactio, maceratio, cohobatio & calcinatio, quæ omnes recte corruptionis operationes appellantur, non tantum, quia corporis compagem ab interno quaſi ſoluunt, ſed etiam quia in illis ſola corporis corruptio ab artificibus quæritur, de quibus ordine.

DE PVTREFACTIONE.

Putrefactio eſt miſti diſſolutio per putredinem naturalem in calore humido ſubſtantiam ipſam corrumpente, eiuſque interna clauſtra referante.

Putredinem dico naturalem, quia hic natura præcipue operatur. Calor enim naturalis & ſubſtantiæ innatus, excitatus & adiutus à calore externo ſibi vires acquirens, omnium partium ſeparationem molitur, eamque tandem abſoluit, adiuuante humore & corpus ſuperante ſiccum. Res enim omnis putrefacienda humore abunde neceſſe eſt, quo pacto calor innatus cum ſuo humido ſubſtantiali ruptis clauſtris corporis ſegregatur vel diſſoluitur potius, à commiſtis, vnde facilior ſequitur operatio ab artifice.

In qua operatione hæc ſunt obſeruanda.

1 Quod cum hæc operatio ſit naturæ opus adiutæ arte (calor enim naturalis excitatus ab externo calore opus abſoluit) non debemus in tali operatione nimium properare, ſed naturæ opus obſeruare.

2 Cauendum eſt, ne reſolutio fiat totalis quod non requiritur, plus enim

enim labores faceſſeret, & periculum ſubeſt, ne aliquid eius quod relinquitur, pereat.

3 Diligenter prouidendum eſt, ne fœteat putrefactio, quod hac ratione præcauebitur, ſi bene muniatur vas putrefactorium, ne aer intret aut exeat.

4 Quod omnis putrefactio in humido calore perficiatur, eoque vel B.M. vel ventris equini.

5 Quatenus omnis putrefactio fit in humore materiæ intrinſecus adiuncto, quo mediante diſceſſus ſiue partium ſeparatio efficitur: ſciendum eſt, quod hic humor ſit aut rei congenitus, vt in herbis recentibus; aut extrinſecus additus, vt in ſiccis; & tunc danda eſt opera, vt talis fiat, quæ ſubſtantiæ non noceat, ſed tantum, vt concluſa corporis clauſtra reſeret, vt ſic in apertum perducantur, quæ antea in abſtruſo naturæ ſinu latitabant.

6 Putrefactionis tempus generaliter eſt menſis, ſed non ſemper obſeruandus, cum res omnes putrefaciendæ non ſint eiuſdem naturæ, quare plerunque relinquitur tempus iudicio artificis, qui obſeruare debet iuſtam putrefactionem.

7 Apparatus putrefactionis talis eſt: Res putrefacienda ſi humore abundet, vt recentes herbæ & flores inciſa vel contuſa in ollam vel ampullam putrefactorum in eum vſum concinnatam, imponitur, & in fimo vel balneo tepido ad putrefaciendum locetur, ſed vas diligenter obturandum, non tantum, vt caueatur, ne aer intret, ſed ne ſpiritus fugiant. Si vero res humoris parum aut nihil in ſe habuerit, humoris inquam actualis, tunc terenda & ſufficienter humore conſpergenda. Solent in putrefactione herbarum vel florum pro oleo addere ſalem vitrioli aut alumen S. S. S. vt hac ratione putrefactionem accelerent, reſerationemque adiuuent, ac materiam à putrefactione fœtida liberent; vel alioquin in eum finem parum fermenti acris addunt, & tunc fermentatio dicitur.

DE MACERATIONE.

Maceratio eſt corporis in aliquo menſtruo infuſio ad iuſtum tempus. i. e. donec menſtruum corpus reddiderit ſatis molle ac tractabile vt penetrationem menſtrui admittat, tincturamq; per menſtruum educi

Digitized by Google

educi concedat. Quare huius operationis non eſt determinandum tempus, ſed expectandum, donec ſaturate tinctura in menſtruo appareat, tunc enim ſuccedit ſeparatio. Huius apparatus eſt talis: Res maceranda prius trita in paruas partes vaſi ſuo indenda, vndiq; ſtipatis ſpiramentis, atque ſeponendum in iuſtum tempus, ſæpius interim agitanda, vel ſi requiratur, tepido calori imponenda, ſi fuerit res vegetabilis balneum præſtat: Si Mineralis eget calore ſicco cum medio penetratione nimirum, niſi alius ab autore præſcribatur peculiariter, ſæpius interim indies agitanda & commouenda.

Eius vſus eſt in eſſentiis & in extractis: Qua in re hæc tota cura eſt, vt idoneum menſtruum eligatur. Non enim omnis tinctura per quodlibet menſtruum extrahitur.

Ergo hic conſideranda venit. 1. Corporis compages, ſi ſolida fuerit firma vel rara & mollis. Non enim idem menſtruum ſeruit extractioni corallorum & aliorum vegetabilium, vt florum, baccarum, & cæt.

2 Conſideranda qualis ſit eſſentia extrahenda, oleoſa an aquoſa, ſi vero oleoſa fuerit, certe opus habet menſtruo oleoſo, ſiquidem per aliud menſtruum nunquam extrahetur, vt videlicet in tinctura ſulphuris, quæ nullo alio menſtruo excedit, niſi oleo therebintinæ.

DE COHABATIONE.

Cohobatio eſt frequenti vehiculi affuſione corporis partium ſolutio & corruptio ac ſeparatio.

Cognationem quandam habet cum maceratione: Vt enim maceratio continua menſtrui præſentia materiam mollificat, & ad ſeparationem cogit, ita cohobatio ex multiplici affuſione idem præſtat.

Eius vſus ſemper eſt in deſtillatione.

Finis duplex. 1. vt ex frequenti affuſione & deſtillatione lento calore tandem deponat eſſentiam & virtutem in materiam (quæ plerunque eſt putris, vel extractum, vel ſimile quid) cui affundatur, & toties repetitur, donec tandem menſtruum inſipidum exeat.

2 Vt oleum producat, idque vel totam materiam mutando in oleum, vt fit in calcibus mineralium, vel vt frequenti affuſione menſtruum

ſtruum penetrans corpus acreſcerans, tandem ſecum vaſa educat, oleum ex interno ſinu naturæ, vt in deſtillatione olei, aromatum, ſeminum, &c.

Ac inſta operatione menſtruum cum diſcretione artificis ad corpus elaborandum recipientis eligendum eſt.

DE CALCINATIONE.

Dicturus de calcinatione, prius quid ſit calx, explicare expedit, quandoquidem per eam calcinationem definire oportet.

Calx igitur proprie ſignificat corpus aliquod reductum vi ignis in puluerem ſubtilem, vel in materiam talem, quæ pro negotio vel ſola læuigatione in puluerem inpalpabilem redigi poteſt.

Eſt igitur calcinatio violenta per ignem corporis in calcem reductio. Eſtque duplex reſpectu calcis duplicis, calcinatio vera & proprie dicta & cinefactio.

Calcinatio vera eſt, qua corpus ſine vlla eſſentiæ iactura ex duro & contumaci tractabile & friabile redditur, ita vt propoſitis operationibus aliis facile cedat. In omni enim vera chymica calcinatione calor innatus intenditur & humor congenitus conſeruatur.

Magnus eſt eius vſus in præparatione medicamentorum alterabilium, quæ per alterationem tantum ſiue ſeparationem perficiuntur, vt diſſolutio perlarum, quæ à nonnullis magiſteria vocantur, & extractiones eſſentiarum. Vnde varij & diuerſi modi operandi inuenti ſunt; omnes tamen in hunc finem, vt idonem corpus mutationem accipiat, ita tamen ne quid de eſſentia pereat.

Primo igitur in medicamentis præparandis, quę corporis alteratione tantum requirunt, vt ſunt ſolutiones margaritarũ corallorũ & hoc obſeruandum eſt, ſi corpus calcinãdum ſubtiles & leues habuerit ſpiritus, vt ſecundum nonnullos calcinetur in vaſe clauſo, vt volatilia cum fixis ſeruentur: Vel ſecundum alios, quia vident ex omni calcinatione clauſa vel aperta niſi nimium intendatur ignis (quod fieri non poteſt abſumptione humidi) calcem emergere nigram, quæ ad omnem operationem inepta eſt, aperto igne reuerberetur, ſed temperato & gradato, ne tinctura & eſſentia ignis vehementia exhalet.

Veruntamen in aliis, quæ ſpiritus ſatis fixos habent, hoc adeo curare nihil expedit, vt ferro croco Martis.

In eſſentiis & tincturis extrahendis, in quibus ſeparatio ſpirituum quæritur, alia eſt conſideratio, ſiquidem neceſſarium eſt corpus perfecte & penitus mutare, ita tamen ne quid de eſſentia amittat.

Omne enim phlegma & leuiores ſpiritus ſeparandi ſunt, qui eſſentiæ extractionem impedire poſſunt.

Et deniq; ne longior ſim, cum ſemper eſſentiale, quod ex hac calcinatione requiratur, vſus multos operandi modos inuenit: ſemper tamen reſpiciendum ad id, quod quæritur, & ad id quod ſeparare neceſſum.

Si enim id quod ſeparare expedit, tantum reſecare cupimus, tunc eſt aut deſtillabile aut ſublimabile.

Si deſtillatione, tunc pro calcinatione aperta (talem enim apertam eſſe omnino neceſſarium eſt) deſtillatione per latus vtimur igni ſatisforti, ſed tamen gradato, vt in oleo vitrioli ſeparando, ſpiritum omnem & phlegma ſeparare oportet prius, deinde oleum ſequitur.

Si ſublimabile, tunc ſublimatione ſeparatio perficitur, vt in antimonio priuſquam eius albos flores per ſublimationem inuenimus, cogimur prius ſulphur combuſtibile & flores citrinos præparare.

Si vero non hæc curamus reſeruare, tunc aperto reuerberatorio calcinamus. Verum tunc diligenter animaduertere oportet, & ignem regere, ne vna abſumatur, quod quæritur. Si enim bene regatur ignis, nihil de eſſentia perit, quamdiu enim aliquid phlegmatis vel aquoſi ſpiritus ineſt, eſſentia non mouetur.

Quare huius abſumptionem obſeruare decet, quod dignoſcitur ex fumo vel vapore aſcendente, vel ex ipſo corpore: æqualiter enim apparebit.

Vel ſi talis materia inutilis facile ſeparari poterit vt in Antimonio tunc ſufficit exhalatio ſuper carbones, ſæpe tamen mouendum ſpatula ferrea, donec ſatis purgatum fuerit.

Solent in tali operatione addere ſulphur, vitriolum, vel huiuſmodi leue quod, vt accelerent opus. Quare videtis nihil referre, quibus modis efficiatur, modo medicamenta nihil detrimenti inde accipiant, & vera calx emergat.

Cinefactio eſt operatio, qua corpus in cinerem cum humidi iactura redigitur, in qua ſalſugo requiritur.

Eius duplex eſt apparatus. 1. apertus, in qua materia viua flamma comburitur, ita vt fiat flammæ quaſi pabulum, vſque quo in albiſſimum

mum & perfectiſſimum cinerem redigatur, ex quo ſal elementaris tantum extrahitur.

3 Occluſus apparatus eſt, cum in olla appoſito operculo vndiquaq; luto agglutinatis commiſſuris in cinerem comburitur, atque hac ratione volatilia cum fixis figuntur.

Ex quo extrahitur ſal eſſentialis, qui Alkali dicitur, in hoc differens ab altera, quod quamuis in hac calcinatione omnis humor abſumatur, tamen ſpiritus quidam figuntur & retinentur, vnde & eſſentialis dicitur, quod aliquid de eſſentia retineatur.

Ex his patet, quid ſit calx, & quotuplex fiat calcinatio reſpectu calcis: nunc reliquum eſt, vt ſciamus, quotuplex ſit operatio ſecundum operandi modum. Eſt igitur duplex: Actualis, & potentialis.

DE ACTVALI CALCINATIONE.

Calcinatio actualis eſt, quando vi ignis materialis res in calcem redigitur. Eius apparatus talis eſt: res calcinanda comminuitur, vel ſecundum naturam & exiſtentiam in minimas partes redigitur, & vaſi ſuo apponitur, vel occluſo vel aperto, vt res exigit, cum additamentis, ſi opus fuerit, quæ calcinationem promoueant: Vel ſine additamentis, ſi facilis ſit calcinationis. Additamenta iſta ſunt ſulphur, vitriolum, acetum, & ſalia multa.

Si cum additamentis, idque in vaſe clauſo, relinquenda ſpiracula pro vapore & fumo exeunte, qui plerunque copioſe expirat, alioquin vas rumpitur.

Si ſine additamentis, & materia pretioſa fuerit, fortesque habuerit ſpiritus, tunc non requiritur tantum, vt firmum vas accipiatur, ſed etiam vt firmiſſimo luto muniatur, & ferramentis conſtringatur, ignisque dandus eſt per gradus.

Quædam panno tamen inuoluuntur, & poſtea luto obducuntur. In quibus hoc ſpecialiter obſeruandum eſt, vt prius quam igni admoueantur, lutum optime ſiccetur.

Sed non opus eſt amplius hiſce immorari: ſiquidem autores, cum requirunt aliquam peculiarem calcinationem (ſicut & alias operationes) eas deſcribere ſolent. Sat eſt generalia diſcere, vt inde facilius autores intelligantur.

Interim hoc obſeruandũ eſt in calcinatione, ei ſæpe inſeruire reſtinctioné in aceto, aut tali aliquo forti liquore, vel eorundẽ aſperſionem. Atq; hæc apparatio generaliter omni calcinationi actuali inſeruit.

DE POTENTIALI CALCI-natione.

Potentialis ignis eſt, quo materia igni eſſentiali (qui etiam potentialis ſeu philoſophicus dicitur) in calcem veram, nunquam vero in cinerem redigitur. Quare cum ſit præſtantiſſima calcinandi forma, & inprimis ad quintas eſſentias metallorum vtilis, ſine qua fere extrahi non poſſunt, nec non ad tincturas eſſentiales vegetabilium & animalium (vti & lapideſcentium) artifices varios modos inuenere, quibus hanc calcinationem abſoluerent, qui tamen omnes ad hos referri poſſe videntur, præcipitationem, fumigationem, ſtratificationem, emplaſtrationem, & Amalgamationem. De quibus ordine.

DE PRÆCIPITATIONE.

Præcipitatio eſt calcinatio per aquas ſeu ſpiritus fortes.

Præcipitatio eſt dicta, quia aqua fortis per quam perficitur, 1. diſſoluit metallum, quod præcipitandum eſt in aquam, & ſurſum in ſe rapit in tam perfectam liquoris vel aquæ ſpeciem, vt vbique appareat aqua homogenea ac perſpicua, ac ſi puriſſima eſſet aqua abſque vlla commiſtione.

2. Vel pondere grauata metalli, vel in opere diſſipatis ſpiritibus ad fundum vaſis cadere metallum permittit, vnde præcipitatum dicitur, & opus præcipitatio.

Eius apparatus talis eſt: Materia ſic calcinanda (quod plerunque eſt metallum, vel alia res lapidea) limatur, & in tenues laminas ducitur, vt facilius operi cedat, vitro deinde imponitur forti, & aqua fortis affunditur vt materiam tres vel quatuor digitos emineat, quæ protinus incipit bullire, corpuſque corrodere indeſinenter, donec opus abſoluerit. Si vero tardauerit aut metus aliquis ſubſit de imbecillitate aquæ, tunc ſolent vitrum admouere cineribus modice calidis, vt extremo calore potentialis in actum redigatur, vt aliquando, cum aqua adeo debilis eſt, vt non verentur vas claudere, quod alias nō faciunt, tunc bene obturatum in ſtercore equino aliquot dies vel nonnunquam ad aliquot ſeptimanas locant. Sed plus tunc ſæpius quæritur, quam calx.

Nam in naturali digeſtione huiuſmodi, non tantum aqua corpus in calcem reducit, ſed etiam prorſus metallicam naturam corrumpit,

rumpit, & in oleoſam ſubſtantiam conuertit, quod plerunque in tali proceſſu quæritur.

Si vero poſt diſſolutionem corporis aqua calcem non dimittat, ſolent artifices addere, quæ ſeparationem faciunt, videlicet aut in aquam communem infundunt, vt hac ratione obtuſa vis aquæ fortis calcem amplius non retineat, quo facto tota aqua protinus congelatur inſtar glaciei puriſſimæ & albiſſimæ, vnde quidam calcem iſtam glaciem dicunt, poſtea ſequitur perfecta ſeparatio, glacies enim fundum petit, & aqua ſupernatat.

Alij ſalem addunt, vel aquam ſalſam calidam, ſed diuerſæ materiæ diuerſas ſæpe habent ſeparationes: vt pro argento ſolent iniicere laminas cupri, ad quas naturali inclinatione Lunæ calx ſe deuoluit. Pro Mercurio cuius proprie præcipitatio dicitur, quando cupiunt albam calcem, aquæ dulcis infuſio ſufficit: Si vero calx rubra quæratur, qui vere apud Chymiſtas Mercurius præcipitatus dicitur, tunc effundunt diſſolutionem totam in ollam vitreatam lati orificij & ſuper calidos cineres euaporare aquam fortem ſinunt, ſub finem augendo ignem, vt intendatur calor, vel vt elegantiorem adhuc inducant colorem, tum vt Mercurius magis fixatus quod maxime in hoc opere ſpectatur, per latus deſtillent aquam cum multis cohobiis. Aqua quoquo modo ſeparata poteſt rectificari, vt iterum vſui inſeruiat, ne quid perdatur.

Hoc in iuſta calcinatione inprimis obſeruandum eſt, vt vnicuique corpori ſuam paret aquam artifex, ne fruſtra operetur; non enim eadem aqua ſoluit aurum & argentum.

Deinde habenda eſt ratio finis, cuius gratia calx quæritur. Alia enim aqua opus eſt, cum calx paratur in vſum humani corporis: alia cum pro medicina tranſmutatoria.

DE FVMIGATIONE.

Non immerito præcipitationem ſequitur fumigatio, cum vtraque perficiatur corroſiuis, verum diuerſo modo. In illa enim eſt totalis diſſolutio in aqua ſoluente & corporis immerſio: In hac vero tantum extremarum partium corporis corroſio per fumigationem, id eſt aquæ corrodentis vaporem, vel mineralium exhalationem aſcendentem, ſeque in corpus ſupra poſitum inſinuantem, ipſumq; paulatim corrumpentem & corrodentem donec in calcem reducatur.

Eſt itaq; fumigatio calcinatio in ſicco vapore (qui proprie exhalatio vocatur,& eſt tantum mineralium) perficitur, alia in humido, quæ eſt aquarum vel ſpirituum.

Si humido vapore perficitur, tum talis eſt proceſſus: lamellæ pertuſæ foramine vno filo ſuſpenduntur, intra ollam anguſti orificij, aceto deſtillato, vel alio ſimili liquore acri plenam, vndiquaque bene tectam & opertam in calidis cineribus vel fimo equino collocant, vt vapor aſcendens ſeſe corpori inſinuet & corradat. Tamdiu illic relinquitur, donec ſuperficiem corporis corroſerit, & calcem induxerit, calx abraditur, & opus iteratur.

Pro hac calcinatione ſæpe inſeruit extinctio & madefactio.

Extinctio eſt, cum metallum ignitum extinguitur in liquore aliquo forti & corroſiuo, vt in aceto deſtillato, muria cocta, vel ſimili, in quo liquore non modo ſquamas deponit, quæ calx dicuntur, nam in ſubtilem puluerem redigi poſſunt, ſed etiã multoties ſaturatiſſimam tincturam in menſtruo relinquit, vnde viam parat ad magnas operationes. Quidam enim contendunt hac ratione auri tincturam ſpiritibus vini extrahi poſſe.

Madefactio eſt, quando metallum madefacimus, vel immittimus in corroſiuam aliquam aquam, aut muriam, atque deinde aeri exponimus, donec corroſum fuerit, calcem poſtea abluimus aqua plerunque dulci, vt in vitriolo veneris.

Huc referri quoque poſſunt immerſio & maceratio, in qua non eſt diſſolutio, vt quando corpus contumax eſt, vel facile non cedit vlli prædictorum vel tempus non patitur tam longam præparationem: tunc ſolemus corpus limatum immergere aquæ, illicque macerare, donec fuerit corroſum inſtar limi: ſeparata deinde aqua per inclinationem leuem corpus ſiccatur, læuigatur, & aqua dulci dulcoratur, vt fit in præparatione chalybis apud pharmacopæos.

Sic ſicco vapore Saturni vel Mercurij, quæ naturali ſuo halitu omnia nobiliora metalla fragilia reddunt, vt poſtea terendo cum ſale in puluerem redigantur; necnon Mercurius Saturnum, & Saturnus Mercurium calcinant.

Apparatus talis eſt. 1. fuſum plumbum vel Mercurius calens ollæ anguſtæ orificio imponitur & ſuppoſito igne lento, ac appoſita lamina Solis & Lunæ, quibus proprie inſeruit iſta calcinatio (quamuis nonnunquam & aliis metallis) & aſcendens halitus ſe corpori inſi-

ri inſinuat, & fragile reddit; poſtea ſuccedit læuigatio cum ſale ſuper marmore, & ſalis tandem ablutio aqua pura à calce.

Calcinatio Mercurii cum Saturno talis eſt.

Plumbum diſſoluitur, poſtea funditur in foueam terræ, vel vas aliquod idoneum, & cum tam fluidum fuerit, vt impreſſionem rotundi lapilli capere & ſeruare poſſit, protinus formetur fouea, in quam dum calet immittitur Mercurius frigidus: poſt refrigerationem iterum Mercurius extrahatur, Saturnus viciſſim fundatur, ac opus reiteretur, & vlterius progrediendo friabilis redditur, vt læuigationem cum ſale admittat. Hoc viciſſim ſuo fumo Mercurius plumbo præſtat. Hæc de fumigatione.

DE STRATIFICATIONE ET EMplaſticatione.

His addit Libauius Stratificationem & Emplaſticationem, quæ tamen veræ calcinationes dici non debent, ſiquidem ſola & per ſe operationem nunquam abſoluunt, ſed ſæpe in vſum aſſumuntur vt eandem adiuuent & accelerent, vt quando S.S.S. ſalium vel aliorum ſimilium partes lamillis vel etiam pulueribus metallorum admiſcentur, vel paſtæ forma emplaſtrantur. Tum materia ita præparata igni calcinationis ſemper imponitur. Corrodendo enim & corpus penetrando calcinationem accelerant, & quandoq; in vno eodemque opere coniunguntur.

Nihilominus quamuis veræ calcinationes non ſunt, ſiquidem tamen apud quoſdam ita capiuntur, hoc vobis reſpondere æquum putaui, vt ſi quando occurreret, mentem autoris intelligeretis.

Attamen Emplaſtrationis etiam alium eſſe vſum pręter calcinationis ſciatis licet, vt nimirum hac ratione artifices aurum argenteis vaſis obductum ſepararent, quod alias perderent. Apparatus talis eſt: Vaſa deaurata obducuntur aliquo Emplaſtro corrodentium, ad tempus reponuntur, poſtea Emplaſtrum aqua abluitur, quod vna ſecum aurum aufert, quod deinde ablutionibus multis, vt vel Mercurio viuo, qui auri voraciſſimus eſt, à ſalibus facile ſeparatur.

Propterea ſtratificatio nihil differt à Cæmentatione, vt poſtea audietis.

lauerit, tunc abluitur: ſed tamen magna cura ignis eſt habenda, ne iterum fluat metallum, quod vt melius præcaueant, nonnulli ſolent adiicere parum ſalis, quod poſtea ablutione tollunt.

Si vero ſubtiliſſimum puluerem cupiunt, tunc ſolent prius amalgama ſuper marmore terere eum ſale, poſt Mercurium euaporare, calcemque abluere.

Si vero quæratur præcipitatio, ſiue vt inſeruiat turpeto aureo, tunc toties reiteretur amalgamatio cum globo relicto & Mercurio recenti, donec inſtar butyri tota tranſierit per corium.

Huc vſq; quæ breuiter res poſtulabat, de vno corruptionis inſtrumento, in quo ſolum corporis compagis ſolutio ſpectabatur: reliquum eſt, vt ſecundum explicemus.

DE SEPARATIONE.

Explicata hactenus continuitatis ſolutione, ſeu ratione qua corporis continuitas ſolui poſſit, cum neceſſario ſeparatio ſequatur, ſemper corruptionem ordine naturæ ſuccedit eius explicatio, in qua eundem ordinem ſequar, quem propoſui & obſeruaui in priori parte.

Separatio eſt operatio, qua partes corporis ſoluti & corrupti diſtrahuntur & ſeparantur.

Eſtque duplex: ſubſtantialis & ſuperficialis.

Separatio ſuperficialis eſt, quæ partes corporis integrantes ſolutas, & tamen in ſuo homogeneo manentes diuidit & ſeparat tantum ab inuicem, ſine vlla interna aut ſubſtantiali penetratione.

Circa tria verſatur, vel in ſeparatione ſiccorum à ſiccis, vel humidorum ab humidis, vel humidorum à ſiccis.

Si ſiccorum à ſiccis fiat ſeparatio, tunc pulueriſationi & læuigationi inſeruit, cribratioque dicitur, vel nonnunquam Ablatio dicitur, cum adhuc ſubtiliorem ſeparationem requirimus, vt in præparatione ſuccini, margaritarum, corallorum apud pharmacopæos: Vel fumigationi inſeruit, vt ſeparet leniter adhærentem calcem, vt in ſacharo Saturni & Deterſio dicitur pede leporino vel pluma perficitur: Vel vt tenacem adhærentem calcem auferat, & ablutio dicitur, vt in calce veneris, vel amalgamationi inſeruit, vt nimirum abundans Mercurius à metallo calcinato ſeparetur, & expreſſio dicitur.

Si humidorum à ſiccis ſeparatio fuerit (vt in tincturæ fit ſpiritibus vel olei à craſſis ſeparatione) tūc fit ſeparatio, aut à gummi aut ab aliis quibuſuis.

Si à gummi, tunc ſolo ſedimento cum inclinatione facta leui effuſione tinctura à craſſa materia in fundo ſeparatur, aliam vero non admittit. Tinctura namque gummi percolari aut filtrari non poteſt.

Si aliorum, tunc effuſione, colatione, expreſſione, aut filtratione aut vna harum duabus vel omnibus pro rei neceſſitate perficitur. Si humidorum ſeparatio fuerit ab humidis, tunc ſunt vel eiuſdem naturæ & generis vel diuerſæ.

Si eiuſdem naturæ fuerint, tunc vel ex ſe humida natura vel arte redduntur.

Si natura humida fuerint, vt Syrupi, Iulapia, &c. tunc deſpumatio inſeruit cum ouo agitato prius in patina, cui ſuccedit etiam colatio leuis ſine expreſſione.

Si arte vero humida reddantur, vt ſunt gummi & pinguia tunc inſeruit deſpumatio & colatio cum forti expreſſione.

Si liquores fuerint diuerſi generis, vt oleū, aqua, tūc pro ſeparatione olei ab aqua vel ſpiritu inſeruit aliquādo deſtillatio vel euaporatio: ſin minus laboris inſumere cupiant, tunc inſeruit ſubductio aquæ vel olei per inferius foramen infundibuli, & tunc à Chymicis vitrum ſeparationis vocatur, vel exhauſtio aquæ cum vitro anguſti orificij, quod Attractorium vocatur; & ſolum obſeruatur in oleis grauibus, quibus aqua innatat, vt oleum Cinnamomi: Vel vltimo cum ab omni craſſitie purum limpidum & tenue cupimus, tunc ſolemus linteo ſubtili filtrare oleum.

Cæterùm notandum nullam ex iſtis præter deſtillationem ſpiritibus ſeparandis conuenire, ſunt autem iſtæ omnes ſuperficialis ſeparationis formæ, vt cribratio, ablutio, deterſio, expreſſio, effuſio, colatio, filtratio, deſpumatio, ſubductio, deſtillatio, exhauſtio.

Cribratio eſt ſubtilium partium à craſſioribus per cribrum ſetaceum vel ſericum tranſmiſſio & ſeparatio, pulueriſationi vt dictum tantum inſeruit.

Ablutio, ſi pulueriſationi inſeruit, tunc eſt impalpabilis & leuioris pulueris à groſſo & graui per aquam ſeparatio. Si fumigationi inſeruiat, eſt

uiat, eſt calcis à corpore per diſſolutionem in aqua abſtractio.

Deterſio, effuſio, colatio quid ſint ſatis eſt manifeſtum.

Filtratio eſt per colum Chymicum (quod filtrum dicitur, quod & linguam bouinam vocant quidam ob formam) deſtillatio, componitur ex panno laneo, aliquando etiam linteo, & nonnunquam ex papyro, tum ſolent autores dicere filtrum per papyrum.

Huic tandem referri poſſunt purgationes metallorum, oleorum & congenitorum, quibus inſeruiunt & frictiones, ablutiones & agitationes in aqua deſtillata aceto & ſimilibus.

DE SEPARATIONE SVBSTANtiali.

Subſtantialem dico ſeparationem, non tantum quod ſubſtantiam id eſt omnes partes in ſua homogenea ſeparat, ſed etiam quod impuritates & alienitates per totam ſubſtantiam diſperſas auferat & ſegreget.

Eſt igitur ſeparatio ſubſtantialis operatio Chymica non ſolum externas & apparentes impuritates tollens, tum abditas & diſperſas per totum corpus ſeparans; ſed etiam homogeneas partes ab heterogeneis, vt ſpiritum à phlegmate, oleum à ſpiritu & aquam ab vtroque, tum denique eſſentiam à terra ſalina ſegregans.

Eſtque duplex, quarum prima eſſentiam & purum illud, quod ab impuro ſeparatum cupimus, à magmate vel à capite mortuo in vaſe relicto ſeparat & educit, parteſque eiuſdem naturæ ſimul coniungit, ac in vnum corpus cogit & heterogeneas ſeiungit.

Cuius quinq; ſunt operationes, deſtillatio, rectificatio, extractio, ſublimatio & expreſſio, de quibus ordine.

DE DESTILLATIONE.

Deſtillatio eſt operatio, qua quod in corpore eſt humoris totum illud vaporis ſpecie ab eo ſeparatur, qui poſtea à frigido ambiente congelatus in liquorem ab excipulo recipitur.

Quare tantum humida corpora (quæ talia natura ſunt ſiue actu, ſiue potentia vel per artem talia redduntur) deſtillari poſſunt.

Huius operationis tantus eſt vſus, vt omnibus aliis operationibus inſeruiat, vel menſtrua præparando & eadem iterum ab eſſentiis

D 2 ſepa-

Digitized by Google

ſeparando, nec non eſſentiarum extrahendarum gratiâ inprimis inuenta eſſe videtur. Eſſentiæ vero vt exaltentur, & ſubtiliores ac ad penetrationem promptiores reddantur, debent deſtillari.

Sed cum omnes materiæ non admittant eandem rationem ſeparandi, artifices, ne de hac ratione aliquid lateret, tres deſtillandi modos inuenere, videlicet per aſcenſum, deſcenſum & latus.

Deſtillatio per aſcenſum eſt, cum humor vrgente calore inferiore aſcendere ex corpore cogitur ſpecie aeria in alembicum, vbi congelatur perq; roſtrum deſtillat, alias plerunque dicitur deſtillatio per balneum Mariæ, per cineres, per arenam.

Cæterum quæ vaſa inſeruiant, in procemio dictum eſt.

Quare quot & qualia medicamenta, tam iſta quam aliis donata formis præparentur, in compoſitione medicamentorum dicetur, vbi iſtę omnes operationes redigentur ad vſum.

Præterea ad hanc formam referri poſſunt deſtillatio per campanam qua oleum ſulphuris præparatur, & deſtillatio per patinam, quæ vna cum floribus odoriferis (quibus præcipue inſeruit) ſuper fornacem cum lentiſſimo igne collocatur & ſupponitur alia patina per quandam inclinationem cum interpoſito linteo, quod recipiens vapores aſcendentes per linteum in oleum ſuppoſitum guttatim demittit.

Eadem deſtillatio inuerſo vaſorum ordine per deſcenſum efficitur.

Vltimo in omni deſtillatione hoc obſeruandum eſt, ne ignis intermittatur: nam ſi opus interrumpatur, poſtea nihil aſcendit amplius, aut ſaltem magnam patietur iacturam. Calor enim quamuis non potens fuerit eleuare vaporem ad alembicum, tamen ſiccando abſumet humiditatem. Præterea mineralia, quando in operatione diſſoluta & liquata ſunt, poſt refrigerationem adeo arcte cohærent, & in ſe concidunt, vt ægre aut nunquam ſine puluériſatione noua ſeparationem admittant.

Deſtillatio per deſcenſum eſt, quando vi ignis ſuppoſiti humor cogitur deſcendere. Potiſſimum vſurpatur in iis, quæ calor aſcenſorius corrumperet, & quorum fortis ſpiritus nimio calore in aſcenſu diſſiparetur.

Eius

Eius apparatum deſcribere non eſt opus, cum facilis & apud autores paſſim deſcribatur.

Deſtillatio per latus eſt, cum vaſe in latus inclinato deſtillatio perficitur, cumque illud vas plerunque retorta ſit, deſtillatio per retortam vocatur.

Hæc præcipue vſum habet in mineralibus, nonnunquam etiam in vegetabilibus quibuſdam, vt in lachrymis arborum & gummi & eiuſmodi, quæ quia grauia ſunt, ægre aſcendunt.

Hæc deſtillatio ſicut præcedentes tam humido quam ſicco calore perficitur.

Cæterum in his commorari minime puto opus, cum eadem in praxi cogar repetere. Quare & apparatum & operandi diuerſas formas in eum locum reiicio.

DE RECTIFICATIONE.

Rectificatio nihil aliud eſt, quam repetita deſtillatio, vt perfectum reddatur opus.

Vſum habet tantum in liquoribus (quanquam nunquam reiteratio ſublimationis rectificatio nuncupatur) nimirum vt alienitates ſeparentur, vt phlegma à ſpiritu vel oleo, vel econtra.

Eſt tam neceſſaria operatio, vt ſine ea raro perfectum medicamentum à deſtillatione producatur.

Magnum etiam in ſeparandis ſpiritibus ab eſſentiis & extractis deſtillatis, vt iterum inſeruire poſſint, vſum habet.

Veruntamen nihil aliud eſt, niſi mera deſtillatio, alia appellatione ab artificibus donata, reſpectu effectus, quem producit.

Quare eundem omnino inſtrumentorum & operationis habet apparatum, quem deſtillatio tam per aſcenſum, quam per latus, nunquam vero per deſcenſum.

DE SVBLIMATIONE.

Sublimatio eſt operatio, qua corpus halitus ſpecie vi ignis in ſublime propellitur, ibique ab ambiente frigido congelatum ſubſiſtit, & à forma operationis ſublimatum vocatur & præcipitationi opponitur.

Vt ſublimatio fiat, duo plerunque requiruntur. 1. Vt corpus cum alia materia graui ſuper marmore incorporetur, quæ ipſum tardare

poſſit, ne igné nimis cito effugiat, & ante iuſtam & puram ſeparationem, tum quæ fæces ſiue corporis impuritates ſecum quadam affinitate retineat: Vel vt ſua acrimonia corporis mutationem, corruptionem & tandem ſeparationem adiuuet, quæ tamen talis eſſe debet, quæ nullam alienam qualitatem corpori ſublimando imprimat. 2. Requiritur, vt lento prius igne humor omnis tollatur, modo talis materia, quæ in vtili humore abundet (vt in ſublimatione ſulphuris phlegma ſalis & vitrioli ſeparandum eſt) alioquin nulla erit deſtillatio, vel ſaltem impurior.

Sublimatio autem eſt aut vnius materiæ ſublimandæ, aut plurium.

Si vnius tum duplex eſt intentio. 1. quæritur corporis tantum à ſordibus purgatio, vt corpus purum reddatur, vt in ſublimatione ſalis Antimonij 2. Aut vna cum purgatione requiritur corporis mutatio in alienam formam operationibus magis obnoxiam, vt in Mercurij ſublimatione.

Si plurium, tunc requiritur incorporatio in vnam ſubſtantiam, vt inde ſublimatum compoſitum emergat, & nouum medicamentum, vt in cinnabari.

Vel requiritur eſſentiæ extractio, & tunc alterum corpus quod ſublimatur, pro vehiculo tantum alteri inſeruit, ad quod opus perfectum iterum ſeparatur.

Tale corpus quod vehiculum hic dicitur ſal Armoniacum plerunque eſt, vt in extractione tincturæ ex calce auri cum aquila volante.

Hic notandum quod in iſtis duabus poſterioribus ſublimationis formis nullum requiratur additamentum, præter ipſa corpora ſublimanda, vt in prioribus quæ fæces ſecum retinent.

Sublimatio eſt duplex: Vna qua ſublimatum ad aliquam diſtantiam à capite mortuo ſeparatur.

Eſtque tum ſiccorum tum mineralium (quamuis Libauius deſcribat aliam deſtillationem aquæ, quæ nihil aliud eſt, quam mera rectificatio, aut circulatio, aut ſaltem nullus eſt eius vſus, cum multo melius ſit aquam deſtillare quam ſublimare.

Apparatus talis eſt: Res ſublimanda cum materia competente fæceſque retinente, vel cum calce cuius tinctura expetitur, etiam optime conteratur, & ſuper marmore incorporetur, ollæ deſtillatoriæ vel

vitro

vitro, quod Aludel vocatur imponatur & poſt euaporationem aquoſitatis lento igne appoſito operculo vel alembico, ne quid expiret, augeatur ignis gradatim, donec totum aſcenderit, poſtea per ſe refrigerari permittatur, deinde exemplum ſublimatum ſi opus fuerit, iterũ læuigetur ſubtiliſſimè, & deſtilletur cum noua materia fæces ſeparante & retinente, totuſque proceſſus hic repetatur, donec purum ſatis & perfectum reddatur ſublimatum.

Alia ſublimatio eſt, qua ſublimatum ad vitri ſuperficiem tantum aſcendit, eique inſidet, quæ efflorescentia potius eſt: in iſta ſublimatione ſolent artifices quæ ſublimationem adiuuant addere.

Celebris eſt hæc ſublimatio philoſophica in arbore Hermetis.

Hic addit Libauius ſublimationem in humidis, quæ certe nihil aliud eſt, quam digeſtio aut maceratio quædam per quas ſeparatio partium perficitur, vt in digeſtione oleoſi corporis, cum menſtruo illi adiecto ſeparatur oleum ex corpore menſtruoque innatat, quæ illi ſublimatio dicitur.

Et viciſſim tinctura corporis per menſtruum extracta ſublimatio apud eum vocatur, ſed nimis lata ſignificatione.

DE EXTRACTIONE.

Extractio hic ſtrictius quam apud Libauium ſumitur.

Ibi enim eius vocabuli ſignificatione expreſſionem, ſublimationem & deſtillationem ſub eo comprehendit: Verum quia propoſui non recedere quomodo poſſum à receptis vocabulis, quamuis alioquin barbaris, aut nimis ſtrictis, hic capio tantum pro illa operatione, quæ medicamentum tunc (vnde extractum dicitur) producit.

Eſt igitur extractio eſſentiæ ex corpore per menſtruum ſeparatio, vnde oritur tinctura & poſtea ſeparato menſtruo vel euaporatione vel deſtillatione corporis eſſentia in fundo relinquitur, quæ extractum vocatur.

Huic peculiariter inſeruit maceratio, quamuis non ſemper quibuſdam etiam extincto idoneo menſtruo, vt in calcinatione dictum eſt.

Menſtruum vel eſt corpus connatum vel aſcititium, ſiue extrinſecus corpori adiectum.

Si con-

Digitized by Google

Si connatum tunc inſeruit herbis recentibus, quarum ſuccus prælo expreſſus vna eſſentiam herbæ ſecum defert; poſtea depuratur & ſuperfluus humor (quem ad ſimilitudinem veri menſtruum dicunt, aliquando etiam vehiculum vocant) nuncupari ſolet, quod impurior & crudior ſit extractio, quam quæ ex ſiccis.

Si adſcititium fuerit menſtruum, omnibus ſiccis vegetabilibus & mineralium calcibus nec non animalibus præparatis, vt ſunt cornua, inſeruit.

In quo opere, vt antea ſæpius admonui, vnicuique corpori ſuum menſtruum eſt eligendum.

Extractum etiam conſiſtentiam recipit vel fluidam, & tunc tinctura tantum dicitur, vel conſtantem & firmam inducit, idq; ex ſententia artificis vel Medici præſcribentis & tunc ſpecialiter extractum vocatur vel ſuccus inſpiſſatus.

DE EXPRESSIONE.

Expreſſio iſta, quæ hic tractatur, longe diuerſa eſt ab illa, quam in ſeparatione ſuperficiali explicaui.

Illa enim expreſſio tantum ſuperficialiter ſeparabat partes à ſe inuicem hactenus diſtractas & diuiſas, purum ab impuro (nihilominus integro minimeque ſubſtantialiter corrupto (medicamento) ſegregabat & menſtruum tinctum à fæcibus corpus fluidum ab impuritatibus innatantibus, vel ad fundum præcipitatis.

Hæc vero ab omni parte corporis tam interna quam externa (non a. ſordes.) ſeparat, corpuſque mortuum relinquit. Eius duplex eſt vſus: alius vt ſucci herbarum expreſſione extrahantur, & tunc extractioni, vt ſupra dictum eſt, inſeruit, alius eſt oleorum ſeparatio, qua olea ex ſeminibus & nucleis exprimuntur per prælum.

Eius procedendi modus melius explicabitur in præparationibus.

Iam explicata prima parte ſeparationis ſubſtantialis, quæ continet operationes, quibus pura ſubſtantia à tenaciter adhærentibus & per totum corpus diſperſis impuritatibus ſeparatur & aufertur: Nunc ad ſecundarum venio explicationem, quæ impuritates & alienitates à relicta pura ſubſtantia ſeparant & auferunt, cui quinq; operationes miniſtrant,

Digitized by Google

miniſtrant, vt digeſtio, euaporatio, exhalatio, cæmentatio & fulminatio, de quibus ordine.

DE DIGESTIONE.

Cum tanta inter digeſtionem & macerationem ſit affinitas, vt plerunq; maceratio ſæpe ab autoribus digeſtio dicatur, eam omnino expedit enucleare, cum tanta ſit digeſtionis vis & efficacia, vt corpora alioqui duriſſima, quæ nullo modo macerari poſſunt, molliat, vel ſi hoc non admittant, ad penetrationem ſaltem cogat, vt tinctura per menſtruum educatur.

Quando igitur eiuſmodi corpora contumacia occurrunt, vt calces mineralium, vel ſal ammoniacum vel lapis calaminaris, tinctura mineralium exuberans, tunc maceratio adiecta digeſtione ſemper abſoluitur. Digeſtio enim coniuncta cum maceratione admoto competente calore, vt ventriculus concoquit ad vim ſuam vel eſſentiam exercendam diſponit, contumacem materiam mitiorem & tractabilem ad operationem aptam reddendo, vt abundantior eſſentiæ meſſis ſequatur. Atque hæc ex his cuiuis facile eſt videre, quando digeſtio pro maceratione ſumatur, vt quando liquida cum ſiccis duris coniunguntur, quæ ſoli macerationi non cedunt. Quare additur digeſtio in calore, & tunc maxime apparet, cur digeſtio ſic plerunque vocetur, cum tantum ſcopus operationis ſit maceratio & corruptio, vt eſſentiæ extractio ſequatur.

Verum digeſtio proprie dicta verſatur tantum circa liquorem vel ſi circa ſiccum corpus, liquore tamen adiecto non expectatur eſſentiæ alicuius extractio, ſed vt digeſtione abluatur aliena aliqua qualitas ex corpore præparando, vt poſtea audiemus.

Præterea digeſtio non minorem etiam cum circulatione habet cognationem, quam tamen hic omitto, donec ad generationem in genere peruenero : ſed quomodo digeſtia hic accipiatur & quis eius vſus, breuiter explicabo.

Digeſtio, vt hic capitur, alienitatis tantum ſeparationem quærit, & hic definitur: operatio, qua alienitates tum ſubſtantiæ, tum qualitatis tolluntur.

Humores enim ſpiſſos ſubtiliat, aquoſitates & cruditates in ſuccis concoquit, opaca illuſtrat, omneſque fæces & impuritates quæ in interioribus occulte ante latebant, ſeparat, ad fundum grauiores & ter-

Digitized by Google

reſtres præcipitat, leuiores, vt ſpumam ſuperficiei innatare cogit, idque vi & efficacia externi caloris concoquentis, continuitatem totius penetrantis calidum innatum (cuius virtute præcipue opus abſoluitur) in actum redigentis facit.

Vnde alia apparet inter eam & macerationem differentia, quod nimirum maceratio proprie & ſtricte ſumpta corpus ad ſeparationem tantum parat, digeſtionis vero proprium non tantum corpus ad hanc parare, ſed etiam in parato ſeparationem facere, quod etiam præcipue quæritur in digeſtione, quanquam & alterum neceſſario faciat.

Eius vſus eſt duplex: Vel vt impuritates grauiores, terreſtres & ſubſtantiales ſeparentur, vel vt alienæ qualitates tollantur.

Si primum tunc vſum habet in comparandis ſuccis & menſtruis ſaturatis ac oleis per expreſſionem factis.

Si ſecundum, tunc vel verſatur circa prorſus liquida, & quidem quæ à terreſtreitate hactenus ſunt depurata, vt nimirum digeſtione cum menſtruo idoneo empyreuma oleorum tollatur, vel vt ſecundum nõnullos ignea qualitas ſpirituum, aquarum & aliquando oleorum digeſtione in loco frigido vt in fouea ſubterranea cellæ frigidæ tollatur.

Vel circa ſicca cum liquidis admixta, qualia ſunt turpeta mineralia vel calces ſeu olea mineralium in puluerem præcipitata; vt nimirum digeſtione cum aliquo menſtruo appoſito digeratur donec tandem inſipidum exeat, quod eſt ſignum bene dulcoratum eſſe medicamentum.

DE EVAPORATIONE.

Euaporatio eſt ſeparatio, qua humida in aerem ſeu vaporem diſcedunt.

Vſum habet præcipue in actu humidis, vt extractionibus & aquoſis oleis; quanquam nonnunquam etiam inſeruiat ſublimationi & ſimilibus, quando nimirum aliquid humoris materia ſublimanda coniunctum in ſe habet.

Eius apparatus talis eſt: menſtruum euaporandum in extractis, vt tincturæ mellis ſeu pilulæ conſiſtentia vel alia qualibet ſecundum animum operantis relinquantur (extractum vocant) violento igne, ſi fortes & ſubtiles habuerit ſpiritus, operculo aliquot ſaltem foraminibus,

nibus pertuſo appoſito per quæ vapori pateat exitus, ne vna ſpecies perdantur, abſoluitur. Sed conſultius eſt eiuſmodi lento igne deſtillare, minus enim damni accipient. Tum etiam, ſi menſtruum (vt ſpiritus vini aut huiuſmodi) pretioſum fuerit & quod ſeruare cupimus, ſubſtituere huic ſolemus deſtillationem.

Verum ſi menſtruum aqua fuerit, longe ſatius erit euaporare, quia aqua ſine forti igne non aſcendit, quo ſæpe extractum comburitur.

DE EXHALATIONE.

Exhalatio parum differt ab euaporatione, quod nimirum illa ſit humidorum, hæc ſiccorum.

Eſt igitur exhalatio ſpiritus vel halitus ſicci in aerem per calorem reſoluti ſeparatio.

Eius apparatus talis eſt: Materia pulueriſetur, ſi fieri poſſit, inq; tigillo vel alio idoneo vaſe ſuppoſito igne exhalare permittitur, adhibita in pleriſq; continua verſatione ligno vel ferro aliquo ne comburatur, vt ſtibio vel Arſenico, ſolent etiam addere, quæ exhalationem adiuuent, Salpetræ, Ammoniacum, vt dictum ante, in ſeparatione ſuperficiali.

DE COAGVLATIONE.

His non incommode additur coagulatio, cui ſæpe inſeruiunt euaporatio & exhalatio, ſicut & ipſæ digeſtioni: nec non pro euaporatione & exhalatione ſæpius coagulatio accipitur.

Eſt igitur coagulatio corporis è conſiſtentia tenui & fluida ad ſolidam reductio, ſiue id reſolutione aquea, aerea aut ignea diſſolutum fuerit.

Vnde euaporatio, exhalatio, deſtillatio & ſublimatio coagulationi latiore ſignificatione acceptæ inſeruiunt, vt poſtea perſpicuum erit.

Coagulatio duobus modis abſoluitur: alia fit ſeparatione & ſegregatione, alia vero ſine vlla ſegregatione, quæ totalis aut totius coagulatio dicitur, & proprie ad generationem ſpectant.

Coagulatio per ſeparationem eſt, cum ſeparatis iis, quæ fluidum corpus reddebant, ad priorem conſiſtentiam reducitur.

Ex quibus liquet, coagulationem ſemper ſequi diſſolutionem ſiue illa fuerit in menſtruo aliquo, vt in Mercurio, ſiue ſine menſtruo, vt in deliquio ſalium.

Digitized by Google

Huius coagulationis ingens vſus in corporum depuratione & purgatione, quo frequenti diſſolutione & coagulatione (interpoſitis nimirum ſeparationibus ſuperficialibus ſecundum rei neceſſitatem) omnes impuritates deponunt.

Cum idcirco quod ſupra dictum eſt de euaporatione, nonnunquam coagulatio dicitur, tum artifices finem pro via ad finem accipiunt: ſed omiſſa varietate vocabuli, qua ratione depurationi & corporum purgationi inſeruiat, leuiter dicam.

Coagulatio alia perficitur vt ſupra, ablatione humoris vel totius, quod fit in euaporatione extractorum, & nonnunquam etiam ſalium: ſed tunc minus proprie, & rarius coagulatio dicitur.

Alia fit ſeparatione tantum, maxime humoris præſentis vel quemadmodum ad coagulationem per ſe ſine vlteriore euaporatione vel alia quadam euaporatione humorem ſeparante ſæpius in frigido, aliquando tamen in calido loco, breui ſecututam (quæ vere eſt coagulatio, cum naturæ ſit opus ad vltimam formam præparantis ſolum arte adiutæ) ſufficit.

Eius apparatus talis eſt, Sal Vitrioli, Sacharum, Alumen, cum in aqua pura diſſoluuntur, diſſolutio filtratur, ad medias vel tertias partes prout diluta eſt, coquitur, in cella deinde frigida locatur, (ſi fuerint coagulabilia, vt Vitriolum ſacharum, iniiciuntur bacilli lignei quibus coagulatum adhæret: Si vero non vt in ſalibus bacillos ligneos imponere non eſt opus) vſque dum totum coagulatum fuerit. Si vero aliquid in menſtruo ſelectum ſit, euaporatur vt ante, inque cella locatur vt prius.

Ratio huius coagulationis in frigore eſt quod menſtruum euaporatione diminutum corporis quod ſuſtinebat facile calore (quia mẽſtrui ſufficientis ad ſuam conſiſtentiam redeuntis (tanquam onus) pondere grauatum deponit.

Si vero coagulatio in calore fuerit, tunc eſt talium corporum quæ frigore diſſoluuntur, calore concreſcunt.

Atque ex his apparet, quando euaporatio & deſtillatio coagulationi inſeruiunt.

Exhalatio vero illi officium ſuum præſtat in amalgamis nimia Mercurij copia fluidis.

Sublimatio in iis præcipue mineralibus, quæ cum Mercurio in cella diſ-

Digitized by Google

ſa diſſoluuntur, cuius ſublimatione ad ſiccam conſiſtentiam reducantur.

Quamuis in hac ſublimatione vna requiratur euaporatio, vel ſaltem deſtillatio (alioquin coagulatio nunquam ſequeretur) nihilominus per ſublimationem fieri dicitur, quemadmodum ſublimatoria fieri dicuntur: & ſublimatio præcipue in oculos incurrit Mercurij ſublimati nimirum, qui præcipua diſſolutionis cauſa extiterat.

DE CÆMENTATIONE.

Cæmentatio eſt operatio metallorum propria, qua vitia & impuritates metallorum auferuntur, quo nomine præcipue huc pertinent, quamuis (quatenus ſtratificatione perficitur corpuſq; vna friabile reddit, quod plerunq; ſemper facit, ſi talis ſit) ad calcinationem referri poſſit.

Eius vſus duplex eſt; vnus vt metallorum vitia ſeparentur, quo aliis ſeparationibus inſeruire queant; alius vt adultera metalla & fucatæ tincturæ diſcernantur. Nam leues & ſuperficiales tincturas facile tollit, fucumque aperit, quanquam (eadem etiam) quidam vtuntur ad fucatas tincturas reducendas, vt cum metallum alioquin ignobile cum aliis cæmentant, quæ in metallum cæmentandum tincturam deponere ſolent, quod nihilominus poſtea alia purgatoria cæmentatione facile ſeparatur, vt prius.

Materiæ quibus perficitur cæmentatio, ſunt metalla quædam fugacia, ærugo, calchantum, varij ſales, farina laterum, flores æris, & multa alia, quæ ab autoribus in ſingulis operationibus deſcribuntur, ſiue metallum purgare, ſiue tincturam inducere velint.

Apparatus talis eſt. Pyxis ſeu olla cæmentatoria circa fundum cæmento ſternitur vel ſpargitur digiti vel calami altitudine prout durities, vel impuritas metalli cęmentandi requirit, ſtrato deinde imponitur aliud ſtratum metalli laminati, vel limati; (cum exacta cęmentatio quæritur,) interdum cum alio cæmento commiſti, vel paſta cæmentatoria emplaſtratum ſiue iniunctum illi viciſſim aliud ſtratum cæmenti adiiciunt, & ſic per vices, vſque dum ea impleatur, hoc tamen obſeruato, vt ſuperiorem & inferiorem locum occupet cæmentum.

Pyxis deinde armatur luto & operculo tegitur, relictis tamen ſpiramentis quibuſdam, ſi ſales fugaces in cæmento fuerint, alias vas-

diſrumperetur, poſtea, omnibus rite ſiccatis imponitur furno reuerberij ad iuſtum tempus quod ſemper nominatur, vel ſi opus fuerit, cæmentatio priori proceſſu reiteratur.

Ex quibus manifeſte apparet ad cæmentationem, ſtratificationem & emplaſtrationem pertinere, quia nihil aliud ſunt, quam forma & apparatus cæmentationis. Nam neque emplaſtratio neque ſtratificatio per ſe calinationes ſunt, ſed eam tamen adiuuant, ſiquidem etiam igne reuerberatorio opus neceſſario abſoluitur: nihilominus tamen cæmentatio, cum per eam tantum metallorum purgatio, non autem calcinatio requiratur, ad ſeparationem referri poteſt.

DE FVLMINATIONE.

Fulminatio eſt in cineritio purgatio metalli, qua non ſolum ſordes & alienitates metallo adhærentes ad vaſis extremitatem ſeparantur à metallo, ſed etiam omnia volatilia & imperfecta metalla (ſolo auro & argento, quæ perfecta ſunt excepto) in fumum ſeu halitum diſcedunt: ipſum vero metallum, quod fulminandum erat, nebulæ puriſſimæ inſtar in medio coruſcat, vnde nomen accepit.

Eius vſus magnus eſt in purgatione Solis & Lunæ (vnde probationi inſeruit) quod omnia alia metalla, præter illa à cineritio conſumantur & in fumum diſſipentur.

Sed de ea multa dicere non opus habeo, cum vſum præcipue habeat in tranſmutatione metallorum, & plena eius explicatio habetur apud Libauium.

Iam videor primi capitis huius ſecundæ partis omnes operationes enarraſſe & explicuiſſe, in quibus hoc obſeruare oportet, quod quamuis ego perſpicuitatis gratia in methodum qualemcunque digeſſerim, ita vt operationes quaſdam natura & arte alias neceſſario præcedere contenderim, omneſque corruptiones ſeparationis operibus præpoſuerim; non ita tamen intelligendum quod ſcilicet corruptio ſeparatione materiam corrumperet & præpararet, dein per totum opus quieſceret, quod nullo modo rationi conſentire videtur; ſed potius vos ſcire oportet, ſingulos proceſſus proprias ſemper habere corruptiones & ſeparationes, ita tamen vt corruptio ſemper ſeparationem præcedat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

De Generatione.

QVANDOQVIDEM rationem & modum corpora corrumpendi earundemque partes diuidendi alienitateſque ſeparandi, hinc denique ad eam perfectionem deducendi, vt natura idonea fiat, quo generationi ſubiiciatur, demonſtrauimus. Tempus eſt, vt inde quomodo nouum corpus conſtituatur, puta noua medicina producatur, declaremus, ſed prius cum duplex ſit omnino medicamentorum generatio, vel potius productio, eamque diſtinguere, & in qua ſignificatione hic accipiatur, oſtendere.

Generatio in lata ſignificatione eſt ex impuro & crudo corpore noui ac propoſiti medicamenti productio.

Quod duobus modis perficitur vel mediate vel immediate, ſic enim manifeſtioris doctrinæ gratia diſtinguere oportet.

Si immediate nihil aliud eſt, quam fructus & finis corruptionis & ſeparationis, qui illis ceſſantibus citra præterea laborem neceſſario relinquitur.

Cæterum generatio eſt quidem ſecundum priorem & generaliorem definitionem, ſed non vera: ſiquidem generatio proprie dicta non tantum corporis ſeparationem requirit, ſed materiæ etiam inde productæ præparationem in aliam formam, alterationem & ſi opus fuerit, cum aliis compoſitionem, vt poſtea apparebit.

Præterea hæc potius eſt vere generationis materiæ, quam ipſa generatio, cum ab illa ſemper vere generatio initium ſumat.

Quod reliquum eſt, quamuis negari non poſſit, hanc eſſe medicamenti naturam quam propoſiti productionem, tum quo in eadem forma citra aliquam præparationem medici vtuntur: Cum tamen iſta producta medicamenta rudiora ſint, quam vt locum in vera generatione hic mereantur, ſiquidem non facile in vſum ſumuntur, vel ſaltem ad vſum diu reſeruari non poſſunt, ſine vlteriore aliqua præparatione, nunquam ea pro perfectis & abſolutis medicamentis habentur.

Vnde facile liquet ex iſtis medicamentis imperfectis veram generationem, vt medicamentum perficiatur, ſuas habere neceſſario operationes. Quare non immerito hoc loco hæc generatio improprie di-

cta ex-

ƈta excluditur: attamen quia pro medicamento vſurpatur inde productum, & proinde generatio, licet non vera, quæ finis & ſcopus omnium operationum veræ generationis oſtendant, quibus modis exaltetur medicamentum iſtiuſmodi, ac quomodo ad perfectiſſimam in ſuo gradu præſtantiam perducatur.

Si vero quibuſdam mediis inter veram corruptionem & generationem interpoſitis ſequatur medicamentum, tunc proprie & vere dicitur generatio, de qua hic præcipue (cum altera vt dictum eſt præceptis non egeat) quæ ſic definitur, nouæ formæ vel qualitatis, cum virtutis exaltatione in materiam præparatam introductio.

Quare cum noua forma vel qualitas in materiam quamuis puram ſine alteratione introduci non queat, omnino neceſſarium eſt ſcire, quibus operationibus id efficiatur, & quomodo à ſeparatione, quæ idem non minus præſtat, eædem diſtinguantur.

Quinque igitur ſunt iſtæ operationes, quæ generationi, ſeu noui medicamenti productioni inſeruiunt, vt Digeſtio, Coagulatio, Inceratio, Circulatio & Fixatio, quarum quædam corruptioni non minus inſeruiunt, quam generationi, verum diuerſo modo. In hoc igitur primo conueniunt, quod vtraque corpus diuidunt, in minimas partes ſecant, ac etiam diſſoluunt.

Differunt vero quod illa id in illas diuidant, vt ſequatur ſeparatio, corporiſq; purgatio: at hæc vt vel corporis in aliam formam ſiue conſiſtentiam alteratio, aut multorum & præparatorum incorporatio & miſtio, vt perfecta poſtea ſequatur vnio.

Præterea cum in definitione materiæ quoque mentionem fecerim, quid per formam intelligi velim, breuiter explicabo, deinde ad operationes iſtas accedam, vt huic ſecundæ parti finem imponam.

Per materiam igitur intelligere debetis non ſubſtantiam adeo puram, vt nullis amplius impuritatibus ſcateat: hoc enim ad ſummum & vltimum medicamentum tantum requiritur, ſed cum diuerſi ſint gradus medicamentorum, ſcire oportet ſingulos gradus ſibi materiam competentem & idoneam requirere, quæ eius medicamenti gradus productionem ſine vlla ſeparatione aut purgatione facile admittat, alias enim non eſſet vera generatio.

Atque hæc eſt illa, quam in ſingulis gradibus intelligere debetis materiam

Digitized by Google

materiam vt E. G. Mercurius præparatus à nigredine purgatus eſt, apta materia ad recipiendam formam Mercurij ſublimati vel præcipitati, quæ non eſt vera generatio, viciſſim Mercurius ſublimatus non ſine vlla præterea impuritatis abſtractione formam olei vel butyri induet. Quare nondum eſt illa pura materia, quæ huic generationi ſubiicitur.

DE DIGESTIONE.

Digeſtio vt hic conſideratur, eandem operationem cum ſuperiore, quoad vaſa & manualem operationem, requirit, parum etiam in igne differt, niſi quod in ſuperiore ſtrictiorem curam in ignis regimine adhibere oporteat, ſiquidem hic error in igne operationem multum impedit.

Per digeſtionem iſtam ſola operatio quæritur.

1 Vt noua qualitas introducatur, prioris medicamenti forma ſeu conſiſtentia ſeruata.

2 Vt conſiſtentia corporis mutetur & qualitates nouæ introducantur vna vel alterentur antiquæ.

Si noua tantum qualitas introducenda expectatur, tunc inprimis vſum habet in extractis corrigendis & fortificandis, cui inſeruiunt frequentes cohobationes & coagulationes.

Eiuſque apparatus talis eſt: Si corrigere cuperet artifex nimiam frigiditatem & facultatem narcoticam, qua laboret extractum opij, hyoſciami aut papaueris, aut tollere, lenire vel ſupprimere venenoſam qualitatem extracti hellebori albi, vt malitiam ſuam in corpore non tantum non exerat, ſed bonum, quod poteſt potenter efficiat, ſic procedet: Tincturas cordialium quæ vi partes vitales corroborandi valent, venenoſos fumos & qualitates infeſtas ſupprimere vel ſopire poſſunt, compararet, quas effunderet extracto ſupradicto, vaſe digeſtorio optime clauſo ſecundum artem: Et in fornace digeſtoria locaret dies aliquot, donec vrgente calore externo humor aſcendens & deſcendens, ſicque omnes partes penetrans, tincturam extracto, & extractum tincturæ commiſceret, vt ad minimas partes (vt ita dicam) ſeſe inuicem tangant, corpuſque prorſus homogeneum appareat, ita vt ne vel minima pars extracti ſit, quæ tincturam non abunde ſapiat.

Quare hic obſeruandum eſt, ſi materiæ fuerit magna qualitas &

grauis, vt facile fundum petat, vt quotidie bis terue vaſe digeſtorio è fornace exempto diligenter coagitetur, ad meliorem commiſtionem, poſtea menſtruum lento balneo ſeparetur, materiaque relicta in fundo ſiccetur, ſiue vt aiunt, ad iuſtam conſiſtentiam coaguletur, menſtruumq; deſtillatum vt prius digeratur, ſeparetur, coaguletur, hancque proceſſum toties repete, vſque quo omni ſapore & odore priuatum inſipidum menſtruum exeat, ſicque opus abſoluiſti.

Eodem prorſus modo potes acuere & vires purgantis extractis addere.

Hac ratione ſolent corrigere Mineralia turpeta ſolo ſpiritu vitrioli rectificato & puro, cui ſæpe in his accedere ſolet ſpirituum ſuper turpetis combuſtio; Hac vero ratione non tantum vis ſpiritus illis imprimitur ſed etiam volantes turpetorum mineralium ſpiritus figuntur, vel ſaltem noxæ euaporantur, vnde minus animalibus partibus nocent, vomitumque prouocant.

Si formæ & qualitatis etiam mutatio quæratur, tum vſum hunc habet, vt c[illegible]ces mineralium in oleum redigantur.

Apparatus eius talis eſt: Liquor aliquis inſtituto inſeruiens affunditur, digeritur, ſeparatur, coagulatur, cohobatur, & ſicut in priori proceditur, donec tandem calx à menſtruo ſeparata & attenuata in oleum cedat, quod ſic cognoſcitur, cum coagulationem amplius non admittit: huic operationi plerunque inſeruit aqua fortis vel oleum vitrioli, acetum & alia huiuſmodi diſſoluentia menſtrua. Denique ſequitur medicamenti producti frequens digeſtio cum ſpiritu vitrioli vel aliquo dulcorante menſtruo vt liberetur à corroſiuitate menſtrui ſoluentis; & ſic opus eſt abſolutum.

Si antiquæ qualitatis alteratio tantum quæritur, tunc vſum habet in generatione non vera, vt nimium imperfectæ qualitates eius ad perfectionem alterentur & perducantur, quod concoctione partium crudarum in digeſtiuo calore abſoluitur, quamuis idem præſtare ſolent artifices per inſolationes, vt apud omnes videmus in præparatione aquarum ſtillatitiarum.

DE COAGVLATIONE.

Coagulatio eſt corporis fluidi ad conſiſtentiam reductio.

Quod duobus modis perficitur, vel ſeparatione humoris per deſtillationem aut euaporationem, qui fluxionem faciebat; vel paulatim

Digitized by Google

tim illum humorem in corporis ſubſtantiam aſſumendo, donec totum coaguletur & figatur.

Si humor ſeparandus ſit, tunc, vt prius dictum eſt digeſtioni inſeruit, & quæritur vel corporis exaltatio ex menſtrui imbibitione, quare ſæpius ſequitur deſtillatio, quam euaporatio; quia multa ſuccedunt cohobia: ſed deſtillationem excipit ſiccatio lento igne cinerum vaſe operto clauſo.

Efficacius enim operatur cohobatio in corpus ſiccum quam humidum.

Si enim fuerit extractum vel puluis, auidius menſtruum imbibit, ſi vero calx in oleum reducenda, quod etiam quæritur, vt etiam dictum eſt in digeſtione, menſtruum multo valentius corpus penetrat, immutat, calcemque diſſoluit. Humore namque in corpore exeunte menſtrui vis obtunditur, vnde in operatione deficeret.

Vltimo prodeſt ſiccatio, vt corporis perfectio & abſolutio appareat. Cum enim amplius coagulationem non admittit, opus abſolutum eſſe arguit.

Si quæratur, vt omnis humor abſque ſeparatione figatur, tunc incerationi inſeruit, vel etiam nonnunquam perductioni medicamentorum quorundam quæ natura humida ſunt & per totalem coagulationem perficiuntur, vt gummi ouorum.

DE INCERATIONE.

Inceratio eſt humoris miſtio cum materia ſicca per lentam imbibitionem, ad conſiſtentiam vſque ceræ emollitæ, vnde inceratio alias imbibitio dicitur.

Vſus idem eſt cum digeſtione, ſed hic ſemper requiritur totalis coagulatio.

Apparatus hic eſt: Res inceranda eſt ſpecialiter pulueriſanda ſuper marmore & guttulis aliquot liquoris macerandi aſpergenda, qui vel proprius eſt (& tunc ſolent philoſophi dicere ſerpentem vorare ſuam caudam propriam) vel improprius, conteruntur que ac perfecte incorporantur, tunc vaſi digeſtorio diligenter includuntur, lentiſſimo igne coagulantur, quouſque ſiccata materia appareat, tunc reſerato vaſe exempta materia iterum teritur vel læuigatur, vt prius inſeratur & coagulatur, is proceſſus eouſq; reiteratur, donec plus imbibere nequeat, quod ſic cognoſcitur.

Digitized by Google

1 Si fuerit puluis,in quo tantum requiritur virtutis exaltatio aut correctio,cum qualitatis alicuius vt volatilitatis alteratione in eo incerando ſiſtendum eſt,cum igne digeſtorio(fortior enim huic operationi non conuenit) ſiccari non poterit. Quare hæc vltima inceratio humoris, videlicet quæ ſiccari non poteſt lentiſſimo calore eſt ſeparanda, ne vna ſecum hactenus inceratos ſpiritus vel liquores auferat.

2 Si mutatio corporis quæratur, vt in calcibus mineralium opus abſolutum (mutatio corporis in oleum) ſiſtendi tempus indicabit: Deinde poſt exactam incerationem in vtriſque digeritur materia ad maiorem operis perfectionem, tum etiam, vt certum fuit, opus abſolutum eſſe.

Eſt præterea alia quædam inceratio metallis propria, quæ Mercurio incerantur, quo fluxibilia reddantur. Iſta inceratio incipit ab amalgamatione, à qua ſpiritus per deſtillationem cum multis cohobiis ſeparatur,donec metallum molleſcat, vt ad candelæ calorem inſtar ceræ fluere poſſit.

DE CIRCVLATIONE.

Circulatio, vt in ſeparatione dictum eſt, tantam cum digeſtione affinitatem habet, vt vna ſæpe pro altera promiſcue ſumatur. Veruntamen circulatio hæc à digeſtione differt, quod digeſtio ſemper ſeparationem quærat(vel vt impuritates & alienitates ſeparentur,& tunc corruptionis eſt operatio; vel vt ſeparatæ facilius in coniunctione iterum aliam formam & conſiſtentiam admittant, & tunc generationis propria eſt, vti ſupra,) circulatio vero nunquam.

Eſt igitur circulatio liquoris puri per circularem deſtillationem exaltatio.

Dico,liquoris puri, quia circulatio verſatur circa aquas ſpiritus & olea deſtillata (& tunc inſeruit generationi impropriе dictæ) vt videlicet ad ſummam perfectionem & ſubtilitatem perducantur, vel circa quintas eſſentias ſeu tincturas eſſentiales, & tunc præcedit digeſtio,vt omnes impuritates,quæ vel fundum petere, vel ſuperficiei innatare ſolent,tollat,tum demum tincturam puram excipit circulatio, quę abſoluit & perficit. Aſcendendo enim tanta menſtrui cum tinctura, & tincturæ cum menſtruo fit vnio, vt non amplius diuerſis viribus polleant, ſed tanquam nouum & vnum corpus, vnum & com-

mune

mune habeant temperamentum, per quod non diuerſas ſed vnas eaſdemque vires in corpore humano exerant, tantamque ſubtilitatem acquirunt, vt ſine vllo impedimento per totum corpus tranſeant.

Circulatio etiam ad figendum vſurpatur, vt in circulatione quintæ eſſentiæ vini apud Dornæum, quod etiam in circulatoria ſublimatione obſeruatur, in qua toties vertendo ſublimatorium circulariter ſublimatur Mercurius vel metallorum flores, ſiue mediorum mineralium vt Antimonij, &c. donec tandem figantur.

Circulationis apparatus omnino idem eſt cum digeſtione in pellecano videlicet, vel alio quopiam vaſe, quod pro eo ſubſtituitur.

In circulatione hæc requiruntur, corporis nimirum ad naturale temperamentum reductio, quod fortaſſe vitia tum habet in præparatione, vel eiuſdem exaltatio & per totum corpus æquatio. Calor enim naturalis ab extremo excitatus, ex quo totum corpus pertrãſit, tingit, ac perficit: Vnde aquæ deſtillatæ circulatæ diutius à putrefactione ſeruari poſſunt, vel vt tincturæ, quibus præcipue inſeruit, ſubtiliores, leuiores & penetrantiores reddantur.

DE FIXATIONE.

Fixatio eſt quo volatilia fixa redduntur.

Eſtque duplex: alia eſt, quæ volatile quid corpori fixo affigit, alia quæ totum corpus volatile figit, & permanens conſtanſque reddit.

Vtraque per cæmentationes, cum rebus fixantibus, macerationem aut extinctionem cum aquis fixatoriis, vel alias huiuſmodi incorporationes, tandem in nonnullis per leuem & aſſiduam calcinationem perficitur.

Vſus eius eſt, ne ob nimiam leuitatem partes animales feriat, vt ſymptoma inducat, vel vt quintas eſſentias perficiat, & tunc circulatione abſoluitur, vt ſupra audiuiſtis in quinta eſſentia vini.

Huic affinis eſt alia operatio, quæ fixa volatilia reddit, quæ nomine caret, cuius tamen non minor ferme eſt vſus, quam alterius.

Niſi enim medicamenta à calore noſtro moueantur (quod nullo modo fiet, ſi prorſus fixa fuerint) corpus nunquam mutabunt. Vnde

inuentæ ſunt omnes operationes, quæ huiuſmodi fixa medicamenta, vt ſunt aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, corallia etiam in minutiſſimas partes redigerent, quo facilius calori natiuo cederent, tanquam cauſæ ſine qua non. Quanto igitur magis efficacia erunt, ſi leuia reddantur & fluxibilia, mollia, & tractabilia (quæ enim eadem ſunt claſſe cum his quemadmodum & induratum cum fixis) efficiantur, non tantum vt facile à calore noſtro vincantur, ſed etiam vt cum eo tanquam vehiculo per totum corpus fluant, vireſque exerant.

Iiſdem fere operationibus abſoluitur, quibus fixatio, quæ ſunt extinctiones, macerationes, incerationes, ſublimationes, ſolutiones & ſimilia.

Verum diuerſa medicamenta ſiue media promouentia ad has operationes perficiendas ab illis, quæ ad fixationem requiruntur adhibere oportet, cum contrarium prorſus in hac ſuperiore quæratur. Hic enim reſtauratio humoris abſumpti vel deficientis aut aſperitatis ſublatio neceſſaria eſt, in illa vero contraria.

Nihilominus tamen iſtæ operationes merito recenſentur in generatione, cum ſeparationes iſtæ inſenſibiles ſint, ac potius alteratione, quam ſeparatione perficiantur.

Cæterum omnes prædictæ operationes tam corruptionis, quam ſeparationis generationi inſeruint, verum diuerſo reſpectu. Nihilominus tamen in generatione omnes explicare ſuperuacuum eſſet, ſiquidem nullam operationem diuerſam ab eo omnes habent, quas antea in corruptione & ſeparatione declaraui.

Quare hic finem impono, & ad vltimam partem me accingo, quæ eſt de medicamentorum compoſitione, in qua praxim ita proponam, vt omnes terminos in actum redigam, vt qui ad hanc, qui ad illam præparationem appropriati ſint, facile appareat.

TERTIA PARS.

DE PRAXI.

Explicatis ſatis abunde terminis, ſinguliſque quomodo ad illorum faciliorem explicationem & cognitionem facere videbatur, apparatu procedendique forma appoſita, quod reliquum eſt Praxim, id eſt medicamentorum compoſitionem explicare aggrediemur

diemur, in qua ſingulorum vſus & neceſſitas, tum quid quæque medicamenta producant, facile apparebit.

Generales vero de compoſitione medicamentorum obſeruationes attingam, particulares præparationes, quæ non ſine longa praxi magno vſu & diligenti in ſingulis obſeruatione acquirentur, cum copioſe apud omnes autores reperiantur, leuiter tranſibo, vnam atque alteram exempli tantum gratia, quando ſic opus fuerit proponendo, quod vt facilius aſſequar cum diuerſæ ac variæ ſint viæ chymicæ operationes:

1 Quid huius loci ſit exponam: Deinde propoſita medicamentorum diuiſione ad ſingularem explicationem accedam.

Primo itaque cum ſuſceperim medicamentorum, humano vſui tantum inſeruientium ad morbos è corpore expellendos, compoſitionem exponere, multas præparationes, quæ chymicæ apud omnes audiunt, & ſunt tanquam peregrinæ & ad aliam claſſem pertinentes, merito hic excludo: quales præparationes metallorum, tranſmutatoriæ gemmarum & lapidum factitiorum compoſitiones, colorum, præparationes ac miſtiones, & alia huiuſmodi, quæ vel ad fucum vel ad elegantiam tantum pertinere videntur; præterea medicamentorum nudas purgationes, de quibus cum in ſuperioribus dictum ſit, non repeto.

Secundo apud chymicos præſertim apud Paracelſum in Archidoxis ſuis varia & diuerſa medicamenta leguntur, videlicet ens primum, ſeparatio elementorum, quinta eſſentia, arcanum Magiſterium, ſpecifica elixiria: De quibus cum adhuc inter doctos controuertatur, & apud Paracelſum citra aliquam certi generis determinationem, tanquam myſteria & ſecreta explicentur, quid dicam nihil habeo.

Quare his omiſſis ad communem & omnibus decantatam medicamentorum diuiſionem explicandam accedimus.

Medicamenta chymica ſunt duplicia, aut alterata tantum, aut ſeparata; illa magiſteria, hæc extracta vocantur.

DE MAGISTERIIS.

Magiſterium eſt medicamentum abſque ſeparatione atque eſſentiali præparatione, per alicuius rei additionem, in qua talis materia attrahitur & conſeruatur. Vel eſt medicamentum ex toto citra vllam

ſepara-

Digitized by Google

ſeparationem impuritatibus tantum ſegregatis, elaboratum & exaltatum.

Vnde conſtat, huc tantum pertinere medicamenta quæ in alteratione duntaxant ſuam perfectionem habent.

Quæ duplica ſunt: Aut enim ſola corporis facultas & virtus alteratur introductione nouæ alicuius qualitatis fortioris, corporiſque prioris virtutes in ſuam naturam tranſmutantis, vt in vino medicato, & in oleis per infuſionem compoſitis.

Hæc enim ſecundum ſuam naturam non amplius operantur, ſed ſecundum naturam earum rerum quarum virtutes imbiberunt, & tamen ipſa immutata manent.

Huiuſmodi ſunt oleum roſarum, chamomillæ, aqua vitæ variæ, vina medicata, potiones chalybeatæ & alia huiuſmodi, quæ tamen virtutem ex adiectis hauriunt, quæ poſtea remouentur, ſeruata corporis conſiſtentia, quorum præparationes & proceſſus hic tradere operæ pretium non puto.

Aut vna cum quantitatis mutatione corpus ipſum in conſiſtentiam, alia aptiorem & magis idoneam mutatur.

Huius magiſterij omnino duæ exiſtunt cauſæ. 1. vt ſuccurratur nauſeæ ægrorum: nam omnes auerſamur medicamenta, & hæc nauſea ſeu auerſatio ſolum vel maxime oritur ex ſenſu guſtus in medicamento, vt huic malo occurrerent Medici, inuenerunt variorum præparationes vt pulueriſationes, & medicamentorum diſſolutiones, per quas patientes manducationis munere, vnde nauſea præcipue (qua tamen ventriculus carere nequit) leuarentur.

Atque hinc inuentionem maxime habuiſſe videntur omnium vegetabilium pulueriſationes, quas facile præterire non poſſunt.

2 Vitia quædam medicamentorum, quæ obſtant quominus mutationem à corporibus noſtris accipiant.

Atque hæc cauſa varias & diuerſas medicamentorum præparationes inueſtigandi cauſam dedit, quæ non tantum inter alterata medicamenta numerantur, ſed etiam inter extracta.

Sed quales iſtæ ſint & qua ratione concinnentur, vt inueniamus, ſciendum, quatuor vitiis, tanquam totidem obſtaculis & impedimentis laborare medicamenta, quibus ſublatis aut rite alteratis ac mutatis, abſolutæ ac perfectæ ſunt omnes qualeſcunque medicamentorum præparationes.

1 Aut

Digitized by Google

1 Aut enim medicamenta ſunt adeo dura, vt nullam prorſus à calore mutationem accipiant, vt omnia metalla.

2 Aut adeo fixa, vt quamuis à natura mutentur, ægre tamen & tarde per corpus moueantur.

3 Aut adeo lenia, vt vix iuſtam mutationem, quam prius animales partes afficiant.

Aut denique nimia terreſtreitate quaſi compedibus virtutem & efficaciam in corpore exerere impediuntur.

Quorum tria priora alteratione corriguntur: Vnde alterata vel Magiſteria tantum oriuntur medicamenta; quarum partium ſeparatione, vnde extractum,, de quibus breuiter initio facto ab alteratis.

Dura corpora omnia, vt mineralia, animalium quædam partes: vt cornua, dentes, margaritæ, & vegetabilia lapideſcentia, corallia, &c. quatenus propter duritiem minus bene operantur, duplici ratione corriguntur.

1 Aut enim in ſubtiliſſimum puluerem ſeu læuorem adiguntur.

2 Aut ſi ſic non ſatis præparata videntur, ad maiorem præſtantiam liquida redduntur, vnde potabilia plerunque vocantur.

Si in puluerem, vt redigantur, ſufficiat, tunc aut in verum puluerem rediguntur, aut in materiam pulueriſabilem (in idem enim recidit) ſiquidem vſui non minus, quàm verus puluis inſeruire poteſt. Si in merum puluerem tunc vel à præparationis forma, vel ab alia inhærente qualitate nomen habet.

Si à forma præparationis, tunc calx communiter vocatur (communes enim per læuigationem ſuper marmore aut in mortario contuſiones, pulueriſationes conſulto prætereo) quæ duplex eſt, vt ſupra diximus in calcinatione; aut vera in qua ſubſtantiæ eſſentia ſeruatur, aut cinis in qua maxima ex parte eſſentia abſumitur.

Si vera ſit calx, tunc aut materiali, actuali, aut eſſentiali igne perficitur.

Si materiali, tunc tam animalibus & vegetabilibus quam mineralibus inſeruit, cuius præparationem, cum in ſuperioribus adeo dilucide, vt nihil amplius deſiderari videatur, expoſuerim, nihil opus habeo hic repetere. Attamen perſpicuitatis gratia vnum aut alterum exemplum proponam, hoc prius cognito, circa quæ videlicet iſta calcinatio verſetur, vt ea in puluerem vſui inſeruientem redigantur,

quod facile inueniemus, ſi hoc prius cognouerimus, eam hoc præſtare humiditatem ſoliditatis vinculum abſumendo.

Vnde ſatis conſtat verſari tantum aut ſaltem maxime circa animalia, vegetabilia, metalla vix aut ægre fluxibilia, vt ferrum: & media mineralia ac lapides, quæ cum aut non, aut certe parum fluxibilia ſint, facile patiuntur abſque magna eſſentiæ iactura, aquoſum illum humorem ſoliditatis vinculum ſenſim ac leniter igne abſumi, & ſic puluериſantur. Quare ad eſſentialem calcinationem fluxibilia metalla Saturni, Iouis: quæ humidum illud arcte retineant, vnde eſſentiæ iactura metuitur, merito relegantur. Verum hoc dico, quod raro metalla ita puluerиſentur per calcinationem iſtam propter magnum & continuum laborem, qui requiritur in illorum tali calcinatione, cum nihilominus ita præparentur. Verum tunc ſemper egent præparatione aliqua vlteriori, vt in perfectum puluerem reducantur, alioquin commode calcinari non poſſunt, & tunc raro vſui inſeruiunt, niſi hanc calcinationem eſſentialis ſequatur, quemadmodum & ad meliorem operationem eſſentialem alioquin hæc proficit.

Veruntamen cum raro aut nunquam hæc ſine eſſentiali, metalla, vt vſui inſeruiant, præparet, illa vero ſemper fere ſine hac (materiali actuali) merito metalla fluxibilia, vt in puluerem vſui commodum reducantur ab iſta calcinatione, ad illam quæ igne Philoſophico perficitur, referuntur.

Sed exemplis oſtendetur interim, quando metalla hac calcinatione præparentur, vt: Calcinetur itaque Saturnus & Iupiter (de ferro enim non eſt quæſtio, quin hic calcinetur, cum fluxibile non ſit, neque adeo magna eſt quæſtio de Venere, cum difficilis etiam ſit fuſionis) fundantur in vaſe terreo, & ferreo baculo continuo agitentur, donec abſumpta humiditate, quæ fuſionem faciebat in cineres redigantur: poſtea abluantur aqua fontana ab omni cinere & puluere, qui ſeſe in igne immiſcuerat, poſtea ſiccentur, ollæque idoneæ forti indantur, optime vndiquaque obturetur olla, ac luto armetur, ac fortis ignis in fornace reuerberationis detur per integrum diem: Si perfectum non fuerit opus, poteſt reiterari. Perfecta enim calx cognoſcitur friabilitate, vt ita dicam, cui nonnunquam adiungitur calor, vt in crocis, ſed tunc eius fit mentio apud autores quando calorem requirunt, & ex iis tinctura plerumque quæritur.

Sic habebis Saturnum & Iouem calcinatos: qui raro tamen ad vſum

vſum referuntur, niſi forte ad vlcera immunda purganda & ſiccanda, ſed in finem hunc ſolum, nullus fere tantos ſubierit labores, quare vt oleum inde paretur, quod præcipue ex iſtis quæritur, neceſſe eſt, hanc calcem iterum igne eſſentiali præparare, aliqua aqua forti diſſoluere, digerere coagulare, huncque proceſſum vt ſuperius in coagulatione & digeſtione ac inceratione de reducendis calcibus in oleum repetere, vſq; dum opus abſolueritis. Quare conſtat iſtam calcinationem raro per ſe ex metallis facile fluxibilibus calcem ad vſum perducere.

Aurum etiam & argentum cum, præterquam quod fluxibilia ſunt, igne vix ſuperantur propter ſubſtantiam adeo ſolidam, & bene commixtam, non ſine ratione eſſentiali igne ſæpius mutantur. Ad quaſdam tantum operationes facilius abſoluendas hanc mutationem per aquam fortem ſiue ignem eſſentialem, calcinatione materialis aliquando accipit, & perficit, vt in iſta præparatione calcis Lunæ per oleum apparet.

Accipe calcem Lunæ aqua forti præparatam, à ſalſedine aqua ablutam & ſiccatam, ſalem maiorem præparatum hoc eſt calcinatum donec ſtrepitum inter carbones amplius non edat, iſto ſale inſperge fundum tigilli ad altitudinem culmi, cui iterum calcem Lunæ inſperge, deinde ſalem & ſic ſtratum ſuper ſtratum, vt in calcinatione audiuiſtis: tandem cooperiatur olla & luto armetur fornacique calcinationis indatur ad ſex horas ſubiecto forti igne, poſtea omnibus refrigeratis calx eximatur, & in aqua bullire permittatur ad extractionem & diſſolutionem omnis ſalſedinis, ſic calcem Lunæ præparatam habebis. *Calx Lunæ.*

Poſſunt tamen iſta metalla cruda per calcinationem eſſentialem non mutata aut elaborata, vt ſæpius inuenietis apud ſcriptores, materiali calcinatione in calcem mutari. Verum ſemper per cæmentationem, emplaſtrationem & ſtratificationem cum ſalibus & ſimilibus aut corporibus humiditatem abſumentibus, ac ſua corroſione calcinationem promouentibus. Ex iſtis ergo patet, ne longior ſim, fuſibilia metalla cum ſole & Luna ob præſtantem corporis mixtionem per calcinationem cum igne, eſſentiali præcipue in calcem ſeu puluerem conuerti, quibus intermedia mineralia Mercurius additur, qui vix creditur vlli igni niſi eſſentiali cedere.

Nunc quod pollicitus ſum expoſito, circa quod verſatur materia-

lis calcinatio, ipſum etiam vno exemplo eorum, quæ per eam præcipue præparantur, illuſtrabo, quamuis etiam nonnunquam eadem eſſentiali igne calcineatur, vt poſtea apparebit. Ex vegetabilibus igitur tartarus ſic calcinatur.

Calx Tartari. Accipe tartarum pulueriſatum, inde ollæ idoneæ luto obductæ & obturatæ, relicto ſolum paruo foramine, vt vapori egreſſus pateat, alias ſi fortes habuerit ſpiritus, olla rumperetur, aut nigra ſaltem calx redderetur. Quare hoc in omni calcinatione obſeruandum eſt; ſic calcinetur ad iuſtum tempus (tempus vero in omnibus præſcribi non poteſt, ſed in his exercitatus facile hoc inueniet) & ſi opus fuerit calcinatione reiteretur, atque his obſeruatis vna cum autorum præſcriptione facile in præparatione huius calcis progredi poteſtis. Fruſtra enim multas deſcriptiones proponerem, quæ apud omnes autores habentur, & tamen multis modis varianrur, quare ſatius eſt generales obſeruationes, quæ ad omnes operationes facile poſſunt applicari, diſcere.

Eſſentialis ignis in medicamentorum alteratione ſiue in puluerem reductione, quamuis vſum maxime habeat in mineralibus, tamen paruum habet in animalibus & vegetabilibus, vt ad maiorem excellentiam, & in ſummo genere præſtantiam perducant, vt ſunt corallium, margaritæ: quamuis non læuigando & abluendo ad ſubtiliſſimum læuorem & pollinem perducuntur, tamen negari non poteſt, quin multo efficacius operentur, ſi per diſſolutionem præparentur, cum diſſolutio omnem læuorem aut puluerem ſubtilitate & leuitate longe ſuperet. *Solutio corallorum.* Diſſolutio igitur corallorum & margaritarum talis eſt, prius ſubtiliſſime pulueriſentur, vitro idoneo indantur, acetum deſtillatum bonum affundatur, vt ſupernatet ad duos digitos poſt diſſolutionem (incipit enim ſtatim diſſoluere margaritas & bullire inſtar aquæ fortis ſuper metallum) ſtet ad duas vel tres dies ſine vlla motione aut agitatione, vt bona fiat reſidentia poſtea refundatur clarum acetum & nouum affundatur, donec totus puluis diſſolutus fuerit, vel aceto amplius non tingatur, deinde à diſſolutione per deſtillationem aut euaporationem, menſtruum ſeparetur pulueremque relictum edulcora cum ſpiritu vini poſt ſex aut ſeptem dies digeſtionem illo ſpiritu ſeparato, affunde nouum, hæcque toties repete, donec omnem acredinem abſtraxeris. Tandem ſeparato toto menſtruo dulcorante, materiam ſiccato. Quidam diſſoluunt margaritas in ſucco limonum.

Digitized by Google

limonum, prius depurato, ſed vtcunq; fiat diſſolutio, modo nullam aliam ex menſtruo alienam qualitatem in ſe retineat medicamentum præparatum, præſtantiſſime margaritas præparatas habebis, quæ in ore inſtar butyri diſſoluuntur, & facile à calore mutantur, per quod omnes corporis partes alterantur. Huius loci ſunt omnia metalla aqua forti præcipitata.

Huc ſpectat Mercurius ſublimatus cuius deſcriptionem manifeſte ſatis in calcinatione propoſui, qui Mercurius ſiue albus ſiue ruber fuerit, modo præparetur ablutionibus & ſpiritus vini combuſtione, turpetum minerale vocatur, quemadmodum & omnia medicamenta ex mineralibus concinnata per ſedem, ſudorem aut vomitum mouent. Atq; hæc de calcinatione eſſentiali, vt medicamenta in puluerem redigantur, dixiſſe ſufficiat.

Si cinis quæratur, tunc ſolum abſoluitur calcinatione (cinefactio dicta) de cuius præparatione cum ex ſe res ſatis perſpicua ſit & in terminis ſatis manifeſte expoſita, hic plura dicere non opus habeo. Sed vos ad ea quæ illic habentur remitto.

Huc pertinent omnes cineres præſcripti in pharmacopolis, vt cinis cranij humani, cornu cerui vſtum. Atque hæc de pulueribus quæ à forma præparationis appellationem accipiunt, dicta ſint.

Si à qualitate, vt à colore nomen accepit puluis, crocus dicitur, ob ſimilitudinem quandam in colore cum croco vegetabili. Præparatio plerunque eius in calcinatione coincidit, à qua maxime differt, quod aliquando laborioſiorem præparationem propter croceum colorem, citrinum, purpureum, violaceum rubrum ruffum (omnes enim iſti cognati ſunt colores) inducendum requirit, quare in eius præparatione vti prolixitate nihil opus habeo, vnius tamen atque alterius præparationem exempli gratia proponam, vt crocus Martis cuius maximus eſt vſus ſic paratur.

Rec. Limaturæ chalybis, optime abluatur ab omni ſorditie ac ſiccetur, poſtea affunde in vaſe idoneo aceto vini quantum ſufficit; Acetum enim & huiuſmodi fortes liquores, vt in calcinatione prius audiuiſtis, præparationem adiuuāt, & ad colorem inducendum non parum etiam conducunt, ſic ſtet tres dies aut quatuor, demum acetum effunde, & limatura per ſe ſine igne ſiccescat, ſiccata indatur vaſi idoneo appoſito operculo, ne ſordes incidant, (quamuis ſoleat e- *Crocus Martis.*

Digitized by Google

iuſmodi fixa corpora, quæ ſpiritus ſatis fixos habent, vnde periculum non imminet, ne diſpergantur, & igne vaſe aperto calcinari) luto obducatur, & ſuppoſito igne calcinatorio dies quatuor & totidem noctes (vel pro intermiſſis noctibus dies duplicentur) calcinetur, vt ſemper igne vas condeat poſtea omnibus refrigeratis eximatur, & ſuper marmore læuigetur, ſi in læuigatione nulla ſentiatur renitentia, tanquam eſſet arenularum paruarum, crocus eſt perfectus, ſi vero eiuſmodi appareant, opus denuo inſtituendum eſt.

Eodem modo paratur crocus Veneris ex Cupro. Aliis etiam modis parant crocos, nimirum per calcinationem immerſionis vel fumigationis, vel per cæmentationes & emplaſtrationes, denique vt verbo dicam per omnes fere calcinationis modos, ſi quidem vt ſupra dixi crocus nihil differt à calce niſi ſubtilitate & corporis tenuitate, tum etiam colore, qui inprimis requiritur vt crocus dicatur. Quare vt tenuitas corporis abſoluatur, & perfectior crocus reddatur, has crocorum præparationes ſupra dictas per cæmentationem & fumigationem, etſi ſemper fere accipit reuerberatio, vt ferrum aceto immergatur vel ſale fricetur & ad tempus reponatur, rubigo eluatur coaguletur aqua, ſic crocum habebis per immerſionem, qui vt perfectior reddatur, reuerberandus eſt, ſic ex ærugine Veneris collecta perficitur crocus Veneris. Eadem eſt in cæteris conſideratio. Verum ſciendum hanc crocorum præparationem in metallis tantum locum habere. Atque hæc de tranſmutatione metallorum in merum puluerem, ſequitur ratio, qua redigantur in materiam puluериſabilem.

Vt medicamenta redigantur in materiam pulueriſabilem (medicamenta dico, quæ læuigationi, pulueriſationi & nulli alij trituræ per ſe, & vt naturalia ſunt non alterata vllo modo cedunt) vna ſola via eſt per ſublimationem. Et licet per calcinationem non ſemper producatur puluis, ſed aliquando ſolum calx pulueriſabilis, tamen quia ſæpius puluis producitur, aut ſaltem materia tam facile pulueriſationi cedēs (ſi modo calx perfecta fuerit) vt tempore per ſe ſine vlla manuali pulueriſatione, qua opus habet materia pulueriſabilis, facta per ſublimationem, ſi quando pulueriſando ſubtiliter redeat: præterea quia groſſa pulueriſatio, limatura aut raſura calcinationem plerunque præcedit, merito idcirco calx hæc quæ fit per calcinationem pulueriſabilis, in eadem claſſe, cum illis continetur, quæ in puluerem rediguntur, & non cum iis quæ in materiam pulueriſabilem.

Huc

Huc vero ſolum ſpectant mercurij ſublimationes, quę vt audiuiſtis in ſublimatione aut ſimplices aut compoſitæ ſunt. Si ſimplex fuerit nomen habet, quæ ſimplex ex Mercurio medicamentum producet, & ſublimatum dicitur, cuius præparatio talis eſt.

Rec. Mercurij bene præparati à plumboſitate libram vnam, ſalis præparati, vitrioli crudi ana libram vnam, primo per ſe puluerifetur vitriolus, tunc accipe Mercurij vncias ſex ſalis vncias quinq; , optime conterantur in mortario ligneo aut lapideo, donec ſal in ſubtiliſſimum puluerem redigatur, & Mercurius in minimas partes ierit, tunc adde vitrioli puluerifati vncias quinque & celeri manu elaborentur, vſque materia præ humiditate in globulos coire & cohærere inceperit, ac Mercurius tantum mortificatus fuerit & cum cæteris incorporatus, tunc protinus immittatur ollæ ſublimatorię; & reliquum eodem modo præparato, donec totum Mercurium ſic præparaſis: Vltimo quod è vitriolo & ſale ſupereſt, optime per ſe teratur & incorporetur reliquæ materiæ in ſublimatorio ſuperimponatur, ac bene comprimatur, tunc appoſito operculo cum foramine, vt humori diſceſſus pateat, quod poſt obſtruendum eſt, ne vna etiam abeat Mercurius, ſublimetur primo lento igne ad abſtractionem humoris, cum vero Mercurius inceperit ſublimari, tunc primum obturetur foramen, & paulatim ignis intendatur ad mediocrem gradum, in quo ſeruetur ad operis finem. Poſt extractionem humiditatis plerunq; quot vnicæ tot requiruntur horę ad ſublimationem. Hoc opus reiterandum eſt cum ſale & vitriolo cum priore quantitate bis terue, donec purum & cryſtallinum euadit ſublimatum. *Mercurii ſublimatio.*

Si compoſita fuerit ſublimatio, tum ex Mercurio & alio corpore oritur ſublimatum compoſitum & cinnabaris dicitur, cuius præparatio talis eſt.

Rec. Mercurij viui libras tres, ſulphuris libram vnam, cui diſſoluto per pannum aut corium colatus immittatur Mercurius continuo baculo ligneo agitando, quouſque refrixerit & optime incorporetur, poſtea puluerifata ſublimatorio ſine foramine indantur & forti igne ſublimentur, atque ita omnis abſoluta eſt ratio redigendi medicamenta in puluerem; Reliquum eſt, vt oſtendatur, quomodo ad liquidam formam reducantur ſi requiratur, vt medicamenta liquida reddantur, idque ſine partium ſeparatione; tunc corporis diſſolutione igni ardente aut aliquo menſtruo ſoluente perficitur. Eiuſdem

enim

Digitized by Google

enim ſeparatione & frequenti cohobatione procedendum eſt, donec ad olei conſiſtentiam deuenerit, vnde medicamentum illud potabile dicitur: vſum habet præcipue in mineralibus, & interea in Sole, Luna & Marte cum reliquorum metallorum diſſolutiones raro per medicamenta expetantur, niſi vt fiat via ad medicamentum producendum vt oleum. Hoc modo ſeparantur cruda metalla, vel eorum calces. Proceſſus fere in omnibus idem eſt niſi quod differant menſtruis. Idem enim menſtruum omnibus non inſeruit, ſiquidem ſubſtantia duritie & mixtione multum differunt, quod obſeruandum eſt apud autores, qui ſingulis idoneum menſtruum ſemper eligunt, vt E.G. Crocus Martis ſic præparatur & potabilis redditur.

Digeratur cum aceto forti deſtillato, coaguletur, cum nouo digeratur & coaguletur, donec tandem oleoſam conſiſtentiam inducat, & ſiccari amplius ſine fortiori igne non poterit. Eodem modo ex Sole vel Luna ſuis menſtruis diſſolutis multis cohobationibus, digeſtionibus & coagulationibus paratur potabilis liquor, qui quidem ab omnibus acri & corrodenti menſtruo paratur fere, poſtea eſt circulandus & digerendus cum ſpiritu vini aut aliquo dulcorante menſtruo.

His duobus modis medicamentis bene præparatis: ſemper fere ſequitur nimia fixitatis correctio cum ſic leuiora ſemper reddantur. Verum tertium vitium nimia leuitas (vitia enim medicamentorum aut ſunt durities, fixitas & leuitas) vt tollatur, opus eſt omnibus iis præparationibus, quæ in fixione dicta ſunt, quarum proceſſus ex aliis facile intelliguntur, cum eodem modo iiſdem operationibus, quibus aliæ abſoluuntur, vt maceratione, digeſtione, imbibitione, inceratione, extractione & incorporatione, vbi ſic ſolent quidam præparare vitrum antimonij, vt per ſedem ſine vomitu corpus purget, cum ſæpe nimia ſua leuitate ad animales partes aſcendendo eaſq; irritando vomitum faciat, ſiquidem illæ ſuum dolorem ob magnum conſenſum ventriculo communicant, vnde nauſea & vomitus ſequitur, cui malo vt occurratur, ſic conantur figere antimonium.

Rec. Vitrum antimonij optime præparatum in vitro idoneo, bene oleo vitrioli humectetur, lento igne ſiccetur, iterum pulueriſetur & humectetur, vt prius eodem proceſſu quinquies præparetur, poſtea ſiccetur & ad vſum reſeruetur. Quidam idem tentant cum oleo ſulphuris

phuris & aliis menſtruis, quæ facultate ſua comperta ſunt figere, & medicamentorum leuium volatilitatem cohibere. Huc vſq; de obſeruationibus quæ requiruntur in medicamentorum præparatione per alterationem abſque vlla partium extractione impuritatibus ſolum modo quæ nihil ad eſſentiam pertinent ſublatis. Reliquum & vltimum eſt vt de extrahendis medicamentis præparationes aggrediamur.

DE EXTRACTIONE MEDICAmentorum.

Vt ſeparatorum medicamentorum præparationis inueniamus. 1. Scire expedit, quæ & quot medicinæ ſpecies arte extrahi poſſint, quæ duo omnino ſunt, aut enim quod extrahitur natura ſua ſiccum & ſolidum eſt, interueniente tamen alio corpore fluido, vt menſtruo fluidum redditur, & ſic nonnunquam ad vſum reſeruatur, vt in tincturis apparet, aut fluidum & humidum eſt (humida enim & ſolida ſubſtantia omnia medicamentorum corpora conſtituunt) ſi fluidum eſt tum humoris conſiſtentia à corpore ſeparatur, qui in omni corpore duplex eſt, & ſub duplici forma ab eodem ſeparatur, Aquoſus & oleoſus: Aqueus rurſus eſt, aut elementaris aut alimentarius.

Elementaris humor, eſt elementum aquæ omnibus mixtis tam animatis quam inanimatis commune ſoliditatis vinculum, cuius ſolius beneficio tanquam viſco corporis firmitas & continuitas manet, & cohæret. Hic cùm exiguus eſt, in omni corpore & non niſi prius conſumpta omni alimentari humiditate, corporeque ad cineres redacto ſeparetur, raro aut nunquam ab artificibus experientiæ ſubiicitur. Alimentarius vero humor eſt aduentitius & extrinſecus ex alimentis extractus & comparatus, qui ſucceſſu temporis poſt factam concoctionem in ſubſtantiam corporis ceſſurus eſt, atque hic eſt ille humor, qui communi deſtillandi ratione à pharmacopolis præparatur, vnde non adeo efficax eſt, cum parum de virtute corporis ſapiat, quandoquidem nondum ſit vera eius pars, licet, ſi artificialiter deſtilletur aliquid de eſſentia ex corpore ſecum portet, vnde magis minus ve efficaces præparationes reſpectu huiuſmodi aquæ inueniuntur. Verum quando poſſit corrigi, vt plus de eſſentia ſecum deferat aquæ deſtillatæ poſtea dicetur. Cæterum hic aqueus humor, quamuis nondum ſit ex eſſentia corporis, hic quatenus ſpiritus & caloris

H vincu-

vinculum eſt, per quod & cuius miniſterio calor influens defertur, per totum corpus vegetabilium non longe aliter quam ſanguinis vehiculo in animatis corpore quodam modo aliqua eius pars de eſſentia corporis participat, vnde duplex eius differentia oritur, in omni corpore diuerſis nominib. donata, alius enim ſpiritus eſt, alius aqua quæ ad hunc comparata phlegma dicitur, de quarum præparatione initio facto ab aqua agam.

Eſt igitur aqua alimentaria & phlegmatica corporis humiditas, caloris vi in vapores extenuata & deſtillatione per alembicum ſeparata, eſtque duplex ſimplex & compoſita. Simplex eſt, quæ ex vna re ſimplici ſeparatur & ſoluta ex recentibus extrahi poteſt, cum in ſiccis abſumpta ſit. Ex iis tamen quæ ſemper humiditate ſcatent, nec quamdiu ſpecificam ſuam differentiam ſeruant, ſiccari poſſunt, quouis tempore copioſa ſatis elicitur, vt ex melle, vrina, butyro, ſanguine; illa ex herbis recentibus, itaque deſtillata aqua. Hoc ſolum obſeruandum eſt, ne nimis craſſe inſpergantur cucurbitæ propter aduſtionem, alias forma deſtillandi omnibus ſatis eſt nota; & ex prioribus patet. Verum quod antea pollicitus ſum, ita ſolent hanc aquam deſtillare, vt aliquid de eſſentia ſecum deferat.

Quidam in aqua deſtillata ex herbis alias eiuſdem ſpeciei herbas macerare ſolent, hoc ſæpius repetere interpoſitis deſtillationib. multiſque cohobiis, ſed hoc præcipue obſeruatur in calidis vt rore marino, maiorana, &c. quæ cum calida ſint, facilius in iis ſeparatur ſpiritus, quam in frigidis, & ſi quæ immiſcetur.

Alij ſolent herbas recens collectas vaſi putrefactorio protinus immittere & putrefacere ad iuſtum tempus, deinde ad ſiccitatem deſtillare, idque ſine refrigeratorio alembico, & aliquando cohobare. Hac enim ratione omnes ſpiritus & eſſentiam herbarum cum aqua recipiunt. Humor enim ille aquoſus tanquam menſtruum extrinſecus adiectum corpus ipſum ſeparat eiuſque eſſentiã in ſe haurit, ſed hæc illuſtratione per exempla opus non habent. Huic aquæ analogum ex aliis ſiccis per macerationem in menſtruo extrinſecus adiecto elicere ſolent, eadem prorſus procedendi methodo, quæ in ſuperioribus, obſeruata. Ex animalibus etiam, vt lacte, vrina, butyro & ſanguine, tum etiam ex mineralibus haud diſſimili modo aquæ eliciuntur. Verum in mineralibus quædam diuerſitas in forma deſtillationis obſeruatur. Per latus enim vt noſtis omnia mineralia pro-

propter grauiditatem deſtillanda ſunt, nec enim in regimine ignis, propter rationes ſequentes, maior cura eſt adhibenda. Nam mineralia multum in hoc differunt ab animalibus, vegetabilibus. 1. quod pauco phlegmate ſcateant præcipue metalla, nam tot annorum ſpatio, quo metalla in viſceribus terræ perficit & abſoluit natura, vnde tantum omnes tenuiores partes aquæ exhalant (vnde illa phlegmatis inopia in illis) ſed etiam propter diuturnam & tam longam inſpiſſationem, & temperatiſſimam in mineta decoctionem fortiſſimæ & duriſſimæ, vt ait Gelerus, euadunt compoſitiones, vnde difficilimæ ſunt reſolutionis, & propter continuam & longam decoctionem, tam perfecta corporis compoſitio, & partium omnium connexio oritur, vt ęgre & non ſine magno negotio diſtrahi ſepararique poſſint, inde fit, quod quædam mineralia tota fundantur, vt metalla fere omnia, alia cum humore cooperante ſimul tota ſublimẽtur, vt in Marcaſita videre eſt, & ſic de cæteris.

Secus vero ſe res habet in animalibus & vegetabilibus, vt puta quæ tam arcto commixtionis vinculo non cohærent, ſed facile patiuntur partium reſolutionem. Metalla vero propter longam decoctionem, in qua vt ſupra tenuiores partes exhalant, parumque veri aut puri phlegmatis reddunt, idque lentiſſimo calore, alias phlegma cum perfecte propter ſupradictam commixtionem non poſſit ſeparari, ſemper aliquid de eſſentia corporis defert, & ſpiritus plerunque admixtos habet, vnde reſpectu aquarum, animalium & vegetabilium ſpiritus dici poſſet, & ſi conferatur cum ſpiritibus propriis, merito phlegma vocatur, triplici ratione. 1. reſpectu debilitatis, cum ſpiritus multo ſint fortiores. 2. Leuitatis nam longe aliter ſe habent, quem in animalibus & vegetabilibus, in quibus maxime ſpiritus leuiores exiſtunt, contra vero in mineralibus, in quibus propter optimam partium commixtionem, quominus de eſſentia corporis participant, eo citius à corpore ſeparantur, vnde fere exit phlegma, deinde ſpiritus & vltimo oleum quod partis rationem habet, vt in aqua aluminis apparet, quæ ſic præparatur.

Rec. Alumen rupeum pulueriſatum, retortæ lutatæ indatur, addito magno recipiente iuncturis etiam vndiquaq; bene ſtipatis: nam aqua mineralium eſt fortior aqua vegetabilium, ſubiiciatur lentiſſimus calor, vt vix alumen diſſoluat, lento igne ſubmittatur, iſque gradus ignis continuetur, vel paulatim augeatur, vt opus exigere videtur, do- *Aqua fluminis.*

nec omnis aqua deſtillata fuerit, quod dignoſcitur à mutato fumo (nam in quibuſdam, quæ fortes habent aquas egrediuntur fumi forma) vel maxime quando eo vel paululum auctiori ignis gradu non amplius exit, atque ita habebis aquam Solis. Idem in reliquis obſeruandum eſt.

Atque hæc de phlegmatis omnium corporum præparatione dicta ſufficiant, ſequuntur præparationes & ſeparationes ſpirituum.

Spiritus eſt igneus ſeu vitalis corporis calor halituoſo vapore & tenuiore aquæ parte ad conſiſtentiam reductus, vnde quemadmodum humor in arteriis animantium contentus propter admixtum calorem naturalem & vitalem ſanguis ſpiritualis dicitur; ſic eadem ratione hic humor in aliis corporibus aqua ſpirituoſa nuncupari poteſt, cum ſit vehiculum & proprium inſtrumentum vitalis caloris, eſſentiam corporis ſemper ſecum deſert. Quare ſpiritus dignoſcitur calore & fragrante corporis, ex quo extrahitur, odore & ſapore, vel etiam cum ſit ſumme aereus cito inflammatur & ignem concipit, quod fit propter affinitatem, quam habent cum oleoſo humore, in quo tanquam proprio ſuo loco vel pabulo reſeruatur calor vel ſpiritus naturalis, in quibuſdam præterea leuitate, vt in vino & vegetabilibus fere omnibus, in aliis grauitate, vt in aceto & mineralibus.

Omnia enim illa ſigna vel ſaltem plurima ad veros ſpiritus requiruntur. Spiritus ſimplex eſt, qui ex vna re ſimplici ſeparatur, vel compoſitus, qui ex multis. Spiritus aliquandiu deſtillatione. 1. exit cum ſit leuior phlegmate, vt in vino, vrina, roſis, & tunc ſic præparatur: Rec. Vrinam vel eius feces in matula appoſito pileo roſtrato, ponatur in balneo, deſtilletur lento igne, vt paulatim à phlegmate relicto ſpiritus ſeparentur, quod hinc dignoſcitur, quamdiu per latera alembici inſtar linearum continuarum vel venarum deſcendit, tamdiu ſpiritus exit, quando vero guttulę tanquam roris dependent, phlegma egreditur. Hoc in vrina & in aliis quæ ſpiritus leuiores habent, obſeruandum eſt.

Spiritus Vrinæ.

Tunc remoueatur recipiens & optime obturetur. Alias enim ſpiritus relicto vaporoſo habitu ex quo conſiſtentiam habuit, euaneſcent in auram. Hic ſpiritus toties rectificandus eſt, donec purus fuerit, quod dignoſcitur in iis quę inflammari poſſunt, ſi omnes comburantur, relicta nulla humiditate in cochleari. In aliis vero vt in mineralibus, quæ non inflammantur, ſed grauiores exiſtunt per rectifi-

Digitized by Google

cationem in balneo. Facile enim aſcendet phlegma, ægre & difficilime ſpiritus, ſi ſpiritui vini aliquid phlegmatis immixtum relinquatur, ignis ardens aut ſoluens nuncupari ſolet.

Si ſpiritus vltimo egrediatur, quia grauiores ſunt vt in aceto, tunc contrario prorſus modo procedendum eſt, id eſt lento igne primo donec appareant ſigna ſpiritus aſcendentis prius ſeparato toto phlegmate & addito tunc nouo receptaculo & igne paululum auctiore reddito, ſumma tamen cura adhibita ne ſpiritus comburantur; non quod ex ſe poſſint comburi, cum leuiores ſint, quam vt combuſtionem ferant, ſed ne ſol comburatur, atq; ſic inficiantur ſpiritus aſcendentes empyreumate quodam: quare hoc tantum obſeruatione vel autorum lectione cognoſcendum.

Vtrum vero in vegetabilibus & animalibus ſpiritus leuiores ſint aut grauiores fuerint, & reliqua præparatio ex prædictis facilis erit. Spiritus mineralium eadem ratione præparantur, niſi quod per deſtillationem egredi maxima ex parte dignoſcantur ex fumis, vel ſaltem iis auctis aut calore mutatis. Nam ſi forte aqua quæ in mineralibus ſemper primo egreditur, fumos ſecum eduxerit, hoc fit plerumque ob errorem aliquem artificis in ignis regimine commiſſum, qui vna cum aqua ſpritus aquoſiores expellat, vel ſaltem iſti fumi cum admodum debiles ſint, à ſpiritu facile dignoſci poſſint, qui fumos ſpirituales ſummo cum impetu propellit, vt niſi recipiens ſatis amplum fuerit, & ignis diligenter regatur, citiſſime rumpatur. Cæterum phlegma lento balnei calore facile ſeparetur per aſcenſum ex cucurbita vitrea, quo ſpiritus vix mouentur, cum in mineralibus ſint magis fixi; ſic cognita præparatione ſpiritus ſimplicis, hoc eſt, qui ex vna re ſimplici extrahitur, facile eſt rationem compoſitos præparandi inuenire, cum idem prorſus apparatus, niſi quod ex multis ſimilibus mixtis extrahantur. Cæterum hic ſpiritus compoſitus cum ex mineralibus paratur præcipue iis calidis acribus & ſalſis ſpiritus corroſiuos præbentibus ob mirabilem, tum quia phlegma, quod in mineralibus multis exiguum eſt, raro ſeparatur & ex toto à ſpiritibus deſtillat, ſed vna cum illis ad eorum impetum & nimiam potentiam contemperandam educuntur, aqua fortis vocetur, & nonnunquam ab effectu aqua ſoluens, quæ fortiſſima eſt, ex ſumme ſalſis & acribus præparatur, ac ſtygia ſiue aqua gehennæ dicitur: Quæ vero auem regiam (ſal ammoniacum) in compoſitione accipit, Regia vocatur, vel quia ea

Digitized by Google

compoſitionem ingreditur, vel quia ea ſola, quam Aquila regia ingreditur Sol diſſoluere poteſt, Regem omnium metallorum & perfectiſſimum, vnde aqua ei peculiariter inſeruiens regia dicitur. Gradatoriæ vero nomen inditum, quod ex talibus componitur, quæ metalli colorem (& ſecundum nonnullos pondus) in ea diſſolute intendere poteſt, præparatio omnium eſt eadem & apparatus idem, nihilominus tamen ſingulorum ponam vnum exemplum ad faciliorem intellectum, vt aqua communis fortis ſic præparatur.

Aqua fortis. Rec. Vitrioli optimi partes ſex, ſalis nitri purati & præparati partes quinque (quæ nulla alia humiditate abundare debent) pulueriſentur & retortæ indantur (quidam ſolent prius leuiter calcinare ad conſumptionem phlegmatis ſuperflui, deinde in cella collocare, donec deliquere incipiat) addito maximo recipiente, vndiquaque ſpiraminibus concluſis (quamuis ſoleant nonnulli cum materia deſtillanda admodum fortes habuerit ſpiritus, & parum admixti phlegmatis, quam rerum vim & impetum retundat, paruum foramen in iunctura recipientis cum retorta, relinquere cuneo ligneo obturandum, & pro ſpiraculo ſi requiratur aperiendum) & ſuppoſito igne (facile & celerrime deſtillabit) opus aggredere, eumque ignis gradum continuato, donec guttæ incipiant rariores egredi, tum paulatim intendatur tempus diligenter guttarum deſtillantium obſeruando (nam ſi ſubito, vel ante tempus intendatur ignis periculum eſt ne recipiens frangatur) & ſic diligenter ac paulatim augendus eſt ignis, donec amplius guttæ non cadant & vitrum recipiens ad proprium colorem & pelluciditatem, vt ita dicam redeat, quod antea fumis & variis coloribus obtenebratum erat. Poſtea ſine omni periculo ignis poteſt augeri (euocatis ſcilicet omnibus fumis) ac ad ſummum gradum per tres aut quatuor horas deduci. Tandem permittatur ignis extingui, ac poſt duodecim horarum frigefactionem, ſciungantur vaſa, aquamque fortem vitro bene obturato ſerua.

Vt autem ad præcipitationem Mercurij & diſſolutionem aliorum aquam regiam habeatis. Rec. huius aquæ fortis vncias quatuordecim, in quibus diſſoluantur ſalis armoniaci (vulgo regia auis) vnciæ tres ex cucurbita vitrea in cineribus igne ab initio gradato deſtillatur & ſub finem ignem augeto, donec pellatur tota, & ſic aquam regiam ad auri diſſolutionem habebis.

Aqua gradatoria ex iiſdem ex quibus aqua fortis præparatur eodem

Digitized by Google

dem modo, deſtillatur additis tamen tingentibus & colorem alterantibus ſeu intendentibus vt æs viride, ærugo ferri, Crocus Martis, cinnaberis & ſimilia.

Hucvſque de igneo humore, eiuſque diuerſa extractionis forma, reliquum eſt, vt inter humidas corporis partes de oleoſo humore extrahendo dicamus.

Oleoſus humor eſt pinguedo quædam in omnibus corporibus in gratiam caloris vitalis exiſtens, in quibuſdam largius, in aliis parcius vt vix aut vnquam ſeparari poſſit. Hanc pinguedinem ex corpore ſeparatam, vulgo oleum vocant, cuius ſeparatione & ex corpore extractio variis & diuerſis modis abſoluitur: in quibuſdam enim deſtillatione, in aliis expreſſione, elixione, combuſtione, vel diſſolutione comparatur. Quæ deſtillatione, præparantur multis modis, & variantur ſecundum corpora ex quibus extrahuntur. Nam primum ex vegetabilibus videlicet herbis & fructibus, ſeminib. aromatibus, &c. parantur per macerationem in menſtruis idoneis, deinde adhibitis multis cohobiis eliciuntur, & ſic parantur oleum Aniſi, & nucis Moſchatæ, garyophilorum, cinamoni, &c. Tunduntur in groſſum puluerem, cucurbitæ æneæ aqua fontana ſemiplenæ imponuntur, & appoſito pileo cum refrigeratorio igne mediocri vrgeatur, prouidendo ne refrigerium ſupra modum caleat, ſæpius videlicet aqua calida euacuata & frigida immiſſa, ab aqua deſtillata oleum innatans ſemper ſeparetur, & aqua iterum cohobetur, toties donec oleum exhauſeris, quod facile dignoſcitur cum nihil amplius olei cum vehiculo exit. Quidam addunt ſeminib. in cucurbitam iniectis manipulum vnum aut duos ſalis quia retinendo fæces oleum purius reddit & ſeparationem accelerat. Alij tincturam ſeminum, herbarum, aut eius rei cuius oleum cupiunt, idoneis menſtruis extrahunt, tincturam deinde menſtruo ſeparato lento calore ad mellis conſiſtentiam coagulant, quam poſtea in cineribus ad olei extractionem ex retorta pellunt, aquoſitatem poſtea olei immixtam leui euaporatione vel in balneo ex alembico breui deſtillatione ſeparant. Si ex reſinis & arborum lachrymis, oleum quæratur, ſic procedendum. Diſſoluantur in menſtruo idoneo, ſi fieri poteſt. Poſt macerationem & ſolutionem ex arena in cineribus deſtillatur, oleum vt prius euaporatione & deſtillatione ab aquoſitate ſeparetur, vel pulueriſatæ & mixtæ cum cineribus aut ſilicibus calcinatis & puluerisatis ne efferueat retorta ſpiritu

Olea Aromatum.

Oleũ reſinæ.

vini

vini in cineribus pellantur vt in oleo ſuccini & aliis: vt Rec. ſuccini ſubtiliter puluerifati libram vnam, ſilicum calcinatorum & pulueriſatorum libras duas, plures vel pauciores, vt res exigere videtur, optime miſceantur alembicoque luto munitæ indantur, in formace rite locata vigeantur, igne gradato ad expulſionem omnium guttularum & fumorum poſtea augeatur, parum habita ratione, ne oleum extrahat aduſtionem, poſt frigefactionem ſeiungantur vaſa, & ſi ignem ſeruare cupitis, poteſtis in vitro ſeparationis per inferius foramn ab oleo ſubducere vel ex cucurbitula lente caloro deſtillare: poſtea ſi forte in deſtillatione oleum propter errorem in ignis regimine commiſſum, empyreuma contraxerit, ſæpius ex cucurbita per aſcenſum cum nouo ſemper aqueo menſtruo rectificetur, præcedente ſemper digeſtione, hocque toties donec omnem vſtionem in menſtruo depoſuerit. Præterea hoc notandum in oleo gummatum & reſinarum, ſi forte vt ſæpe euenit oleum craſſum picis inſtar reddiderint, ſic corrigendum eſſe & præparandum, vt liquidum & limpidum euadat, prius phlegma ſeparetur, & oleum illud craſſum menſtruo idoneo immittatur & digeratur, poſtea per alembicum breuem ex balneo deſtilletur, ſic recipiens oleum fluidum & limpidum vehiculum cohobando toties, donec plus olei ſecum non eduxerit relicta craſſa pice in fundo cucurbitulæ, & ſic reſinarum oleum bene præparatum habebis.

Ex vino, vrina, aceto & ſimilibus ſeparato prius omni humore ad picis liquidæ formam, eodem modo oleum in cineribus pellatur. Quare facile eſt ex quibuſcunque ſiue animalibus ſiue vegetabilibus oleum extrahere, ſi prius obſeruetur, quid ſeparationi olei ex illis obſter, & deinde huic obuiam eatur, vt quemadmodum in reſinis propter efferneſcentiam & ebullitionem corporis, quæ olei ſeparationem non patiantur, cogimur immiſcere ſilices calcinatos, arenam, ſal præparatum, &c. quæ corporis efferueſcentiam & ebullitionem reprimant, donec tenuiores & magis aereæ partes oleorum extraherentur, ſic in aliis omnibus hoc vitio laborantibus procedendum eſt, vel nimirum huiuſmodi grauia & fixa immiſcendo, quæ corpus tardant, vt apparet etiam in oleo & aqua mellis, cui cineres vel ſilices ſunt immiſcendi, vel ſaltem aliquod leue & ſubtile corpus, quod cito aufugiens tenuiores partes ſecum auferat, vt in oleo butyri apparet, quod ſic paratur. Rec. butyri inſulſi libram vnam, vini albi libram vnam, *Oleū butyri. paratur.*

ſimul

ſimul immittantur cucurbitæ æneæ & igne nudo forti ſatis oleum pellatur, quod craſſum erit,& in frigore congelatur inſtar butyri ſubtiliſſimi,ſed poſtea rectificando fluidum & minime amplius congelabile euadet;vbi obſeruandum eſt,non tantum ſic leue eſſe menſtruum ſiue vehiculum olei,nimirum ſpiritus& phlegma vini albi,ſed etiam tartari eiuſdem, quod multum opus iuuat & accelerat butyrum comprimendo & ab ebullitione retinendo.

Ex mineralibus quæ peruia & tractabilia ſunt,vt carbones foſſiles, vitriolum,facile deſtillatur oleum,phlegma & ſpiritus,primo lento igne ſeparando: Verum ſi oleum craſſum exierit, vt plerunque fit in carbonibus foſſilibus picis inſtar,tum mundificandum eſt,vt audiuiſtis in reſinis.

Alia vero media mineralia & Antimonium, & alia quæ nimis leues habent partes, aut ſulphure volatili multum ſcatent, aut prius hoc ſulphur eſt figendum, quam oleum ſeparari poterit, aut aliquid immiſcendum, vt in reſinis, quod ſulphuris huius ſublimationem prohibeat. Ex metallis vero vt oleum accipiatur, ſolent prius calcinare metallum multis digeſtionibus & cohobiis menſtrui alicuius fortis & corrodentis reducere & vlterius deinde extenuando deſtillare contendunt,vel metallum aqua forti præcipitatum & coagulatum ſeu eius crocum multoties menſtruo corrodenti & forti inſerunt,donec amplius imbibere nequeat: poſtea menſtruum ſic imbibitum more aquæfortis euocant, quod vna ſecum corporis pinguedinem ſeu oleum educit.

His bene conſideratis facile eſt autorum mentem intelligere in præparatione & deſtillatione oleorum congenitorum. Eſt enim & aliud oleum deſtillatum corporibus non connatum, ſed adſcititium & arte à rebus ipſis extrinſecus hauſtum, quod virtute corporis mutatum & ab eo vi ignis iterum extractum, pro eius oleo habetur; tale eſt autem oleum laterinum,quod philoſophorum nuncupatur,cuius præparatio talis eſt. Rec. lateres nouos (alij antiquos) candeant in igne & in oleo oliuarum optimo & antiquo extinguantur, hoc aliquoties repetatur, donec ſatis olei imbiberint, poſtea more aquæfortis ex alembico violento igne pellantur: Sunt qui reaffunduntcapiti mortuo vt efficacius euadat. Atque hæc de oleis deſtillatis. Olea per expreſſionem ſic parantur, ſemina, nuclei, fructus & aromata & alia huiuſmodi, ex quibus ſolent per expreſſionem olea parari, pri-

Digitized by Google

us excorticata optime comminuuntur, & poſtea in panno ex pilis compoſito per prælum inter duas laminas ferreas bene calefactas oleum exprimitur, quod digeſtione leui ab amurca facile ſeparatur, vſque ſatis clarum & tenue fuerit, vel ad maiorem adhuc tenuitatem poteſt cum vehiculo aquæ in balneo per aſcenſum deſtillari: In expreſſione oleorum hæc præcipue ſunt obſeruanda, vt ſemina fructus, nuclei, denique ex quibus oleum exprimere cupiunt, ſint adeo antiqua & ſicca, vt iam eis aqueus fere humor abſumptus ſit tum enim & non antea apta ſunt, vt oleum per expreſſionem fundatur. 2. Vt terantur, & quemadmodum fieri poteſt à corticibus ſeparentur: Cortices enim multum olei imbibunt & conſumunt. 3. Vt trita igne parum torreantur, & in ſartagine caleſcant, tum aqua calida aut alio idoneo liquore aſpergantur, tum torculari calido ad olei effuſionem premantur: Sed hæc manifeſte ſatis apud autores deſcribuntur, nec ex ſe adeo ſunt obſcura, hoc tamen exemplo magis illuſtrabo.

Rec. Seminis papaueris excorticati quantum fieri poſſit, in linteo duro fricentur, in mortario lapideo, ligneo piſtillo contundantur, poſtea vino irrorentur in lebete idoneo calefiant, & ligno continue verſentur, donec pingue quid appareat, vel tale redolere incipiant: poſtea per prælium calidum, vt prius exprimantur ad olei effuſionem. Sic apud pharmacopolas præparatur oleum amygdalarum & ſimilium, Verùm non neceſſario vino inſperguntur, ſed alio etiam liquore pro artificis lubitu. Quidam ſolent prius aliquot dies in menſtruo idoneo macerare, poſtea eodem ſeparato per diem vnum aut dimidium in ſole ſiccare leuiter, tandem igne torrere, & vt dictum eſt exprimere, ſed cum hæc ſatis ſint manifeſta, non opus habeo diutius inſiſtere. Huc pertinent olea per elixationem in menſtruo aliquo concinnata, quæ plerumque per expreſſionem abſoluuntur, vt oleum baccarum pinguium, quales ſunt, lauri, & ſimilium liquorum pinguium, vt abietis, quæ ſic præparantur. Baccæ vel ligna pinguia raſa vel contuſa in aliquo forti menſtruo, vt in aceto, vino, lixiuio, aqua forti, &c. coquantur ad ſeparationem olei, quod innatat cochleari diligenter aufertur, reliquum prælo exprimitur & ſecundum artem ab aqua ſeparatur. Huc etiam pertinent olea operata ex frixis & aſſatis in ſartagine per ſe ſine menſtruo, donec abſumpta ſine omni abundante aquæ oleum ex craſſio re corpore ex-

re exſudet & ſeparetur, vt oleum lactis & cremoris eiuſdem, quod ſic paratur.

Rec. lac pingue vel eiuſdem cremorem cum ſartagine, lebete vel alio vaſe idoneo bulliat leuiter, continuo agitando baculo ligneo, donec omni ſero euaporato, oleum à craſſioribus partibus relictis etiam ſeparetur, quod dum adhuc calet, eſt exprimendum, alioquin multum abſumeretur à fæcibus: ſic & eodem modo paratur oleum ex vitellis ouorum ad duritiem prius coctis, deinde in ſartagine frixis continuo agitando, vt in lacte vſque ad ſeparationem olei, quod oleum ouorum autores vocant. Vltimo & per combuſtionem ſic paratur oleum: Res tenues & aeriæ ſubſtantiæ vt papyrus, pannus, &c. incenduntur ita vt tabula aliqua ſtannea polita vel ferrea ad iuſtam diſtantiam fumum recipiat, ne nimis caleat, tum enim abſumeretur fumus in oleum congelatum. Huius loci eſt oleum ſulphuris per campanam concinnatum, quatenus tamen per alembicum roſtratum alioquin ſeparatur, videtur ad deſtillationem pertinere: nihilominus cum alembicus non requiratur ex neceſſitate ad eius præparationem, ſiquidem campana æque quidem inſeruit, merito huc refertur, præſertim cum per combuſtionem conficiatur, cuius præparatio talis eſt. Rec. vas latum, fictile inſtar patinæ bene vitreatum, in cuius medio tuber exertum ſatis eminens & latum erit, cui apponatur aliud paruum, & latum fictile interpoſita tabula lignea, ne forte tuber incaleſcens in ſuperiacente paruo vaſe aliquid olei deſtillati abſumeret, iſti paruo fictili immittatur paruum candens ferrum, deinde ſulphur pulueriſatum imponito, & cãpanam fictilem bene vitreatam ſuſpendito, id eſt, vas campanæ formę (vnde oleum ſulphuris per campanam vocatur) vel vitream bene lutatam, ne à calore aſcendente rumpatur, aut alembicum ruſtratum cum appoſito recipiente, alias oleum in campana congelatum deſcendit in vas maius magnę patinę forma, poſitum infra minus illud vas, in quo ſulphur componitur ſuo tuberculo ſuſtinens. Continuata ſulphuris combuſtione, nouum ſemper addendum vbi opus fuerit, donec ſatis magnam olei ſulphuris copiam comparaueris, poſtea in balneo rectificetur, & phlegma ab oleo ſeparetur, atque ſic habebis oleum ſulphuris per campanam pręparatum. Hæc de extractione partium fluidarum omnium corporum tam pinguium quam aquoſarum, ſequitur & reliquum eſt, modum & apparatum, quo partes firmiores & ſicciores corporis ſeparentur, & ex eadem extrahantur oſtendamus.

Oleũ lactis.

Oleũ ſulphuris.

DE SEPARATIONE. PARTIVM corporis ſub ſicca firma & cohærente forma.

Partes corporis quæ in ſub ſicca & cohærenti ſolida forma ſeparantur vel ſunt magis vel minus eſſentiales. Magis eſſentiales ſunt vel viſcoſiores & leuiores corporis partes continuæ & inter ſe cohærentes interuentu alterius corporis, quod vel ſemper menſtruum eſt vel ſaltem menſtruo eget, priuſquam abſolui & præparari perfecte, vt vſui inſeruiat, poſſint, vt poſtea apparebit, & vulgo vocatur extractum ſeu fiſcus, vel ſunt tenuiores & quidem leuiores corporis partes partes diſcretæ & minime & ægre inter ſe cohærentes ſub forma pulueris aut pollinis vel potius farinæ volatilis adhærentis muris molæ ab interna ſuperficie ſeparata & flores vocantur. Minus eſſentiales ſunt oſalia omnium corporum, quæ quamuis vt audiuiſtis eſſentialia aut elementaria dicuntur, ſi conferantur, tum cũ capite mortuo & proiectili terra nihil impediunt, quominus eſſentialia habeant, quæ omnia vt abſoluantur & ſub ſua forma perfecte extrahantur aliquo medio opus habent, ſeparationem faciente, vel eandem ſaltem adiuuante, cum impoſſibile fere eſſe ſuperius declaratum ſit, partium corporis omnibus diſtinctionem facere perfectam dico & artificialem ſine interuentu alterius corporis aut ipſum corpus ad ſeparationem præparantis aut ipſam præparationem adiuuantis & perficientis. Ad partium itaque corporis eſſentialium cohærentiam faciendam ne lõgior ſim, opus eſt medio aliquo, cuius virtute & efficacia citius, melius, tutius aut perfectius abſolueretur. Citius & melius dico quoniam periti ſeu perfecti artifices ſine vllo medio quorundam corporum ſeparationem facere poſſunt, vt in ſublimatione florum Antimonij ſatis apparet. Verum non tam cito nec tam certo ac cum medio. Præterea hæc non niſi exercitatis vtputa qui ignis regimen perfecte norunt, contingit.

Hoc medium idcirco aut ſiccum aut humidum erit, ſi humidum fluidum fuerit menſtruum vocatur, eſtque aut connatum aut extrinſecus adiectum. Si connatum, tum nihil aliud eſt quam alimentarius ille humor, quo multum abundant omnia vegetabilia recẽs collecta, & ſuccus dicitur, vnde medicamenta eo præparata & extracta, ſucci & nonnunquam viſcus, præſertim ſi ſuccus lentus fuerit, & viſcidus appellantur, viſcus quercinus (Vogelleim.)

Ex

Ex quibus patet hanc medicamentorum extractionem cum menſtruo congenito, verſari tantum circa vegetabilia recens collecta, & humore ſatis adhuc abundantia, alioqui neceſſe eſt vt adiiciatur, præparatio apparatus omnib. interueniens talis eſt. Herbæ fortiter contundnntur, & prælio ſuccus exprimitur (ſi forte ſuccus lentus & viſcidus fuerit nimis, prælum eſt calfaciendum) ſi vero herbæ ex ſua natura exſuccæ & aridæ fuerint, aquam aliquam ſtillatitiam, parua quantitate adiicere neceſſe eſt inter contundendum, vt irrorentur tantum, vt ſicci penuria impleatur, ne in eius tanquã vehiculi defectu aliquid eſſentiæ pereat: ſuccus deinde leui digeſtione vel tanta ebullitione depuretur, poſt frigefactionem filtretur, & per colum tranſmittatur, poſtea ad conſiſtentiam iuſtam euaporetur, ſic herbæ cuiuſcunque extractum accipietis. Verum hoc notandum, quod hiſce extractis ſicut & aliis inter refrigerandum, poſt iuſtam nimirum euaporationem, guttulæ aliquot olei ſtillatitij aromatum vel herbarum calidarum & cordialium addantur, ad præſeruationem extracti à ſitu & corruptione.

Huc pertinent omnes Syrupi ex herbarum & florum ſuccis præparati. Succo enim depurato, ſachari pulueriſati ſufficiens quantitas adiicitur, & ſic ad Syrupi conſiſtentiam coquitur, ſi vero menſtruum adſcititium vel extrinſecus adiectum fuerit, tum verſatur circa ſicca tantum, eaque tum mineralia, quam vegetabilia & animalia. Verum ſicuti partium commixtionem, vt prius multum inter ſe differunt, ita earundem ſeparationem, quoad formam procedendi diuerſam eſſe nemini mirum videtur; prout enim firmiores ſunt commixtiones ita difficiliores ſeparationes. Quare vegetabilia animalia (prius enim enim in quo conueniunt, deinde particulatim in quibus diſcrepant exemplis illuſtrabo) vt rite extrahantur, menſtruo omnino opus habent, vel immediate. Nam cum extractum communiter dictum (cuius præparationem hic ſolum deſcribo) ſit craſſior & viſcidior tenaciorque pars, totius eſſentiam corporis in ſe continens (nihil aliud eſt extractum communiter dictum quàm corporis ſpiritus, calor cum ſuo oleoſo humore, ſeu vehiculo congelatus, & fixus à totius corporis craſſiori ſubſtantia extractus cum tenuiſſima, leuiſſima & puriſſima parte, à qua conſiſtentiam ſuam, firmam ſolidam & minime fluidam habet) neceſſarium prorſus eſt, ſi eam, præparare cupiamus, hoc per medium aliquod facere, quod penetrando, diſſol-

Digitized by Google

uendo & aliquando tenuiores & magis aereas ac puras corporis partes omnes exugeret, quaſi à fæcibus & proiectili terra ſeparaæet, quod fludum inſtar aquæ eſſe oportebat, cum nullum aliud corpus ſit natura aptum & idoneum, vt per tenuiſſimos corporis poros penetrare, & per occulta & vix perceptibilia ſpiracula) omnia enim vegetabilia non minus quæm animalia ſunt vndiquaque perſpirabilia, nec enim & mineralia quamuis propter optimam partium commixtionem & totius concoctionem, non tam manifeſte apparent, ratione tamen facile eſt colligere. Cum enim quotidie videmus, ex iiſdem, varia exſudare, & multa excrementa ac impuritates ad ſuperficiem reiici, quod fieri non poſſet, ſi perſpirabilia non eſſent, niſi velimus dimenſionum penetrationem concedere. At quid opus eſt multis inſiſtere ad ea probanda, quæ ex ſe ſatis manifeſta ſunt. Quis enim nō videt ignem nunquam poſſe penetrare in corporum intima, & iſta leuiora, facilius ſeparabilia extrahere vel abſumere, niſi per continuum totum corpus comburendo, & in cinerem vertendo, vſque dum ad internas partes aduentum fuit, quas pari ratione ſepararet, ſi non pateret, per huiuſmodi foramina parua & poros. Iſta dixi parua & leuia illa corpora videlicet intelligens, quæ poſt leuem mineralium combuſtionem, ne dicam perfectam calcinationem abſumuntur, corpuſque ipſum poroſum ac multis foraminibus peruium relinquunt (quæ ſeparari tamen facile non poſſunt, niſi vacua quædam ſpaciola eſſent, in quibus mouerent) ingredi & tenuiores & magis aereas ac igneas partes diſſoluere, & ſecum quaſi humores ex corporis medio educere; in ſe diligenter præterea retinere, vt illo quaſi medio ab omnibus impuritatibus, ſeparari poſſint.

Per colum enim, per filtrum (niſi nimis tenues ac viſcidæ fuerint, vt tincturæ gummarum, quæ ſola effuſione, vt in terminis audiuiſtis, purgari poſſunt, perque omnes denique præparationes & purgationes retinet, donec puriſſimæ & ab omni terreſtreitate liberæ fuerint: neque tunc tamen demittit, tam arcte ſcilicet retinet, vt tanquam eſſent ſui partes nunquam quamdiu vires conſtant, niſi arte ſuperari à menſtruo poſſint. Hæc inquam omnia præſtare per tenuiſſimos corporum poros in meditullium totius quaſi penetrare ſubtiliſſimas eius partes diſſoluere, per eiuſdem anguſtias ſecum educere, perque totam ſuam ſubſtantiam diffundere & tandem per omnes effuſiones, digeſtiones, circulationes, colationes & filtrationes, tanquam eſſent

eſſent ſui partes in ſe nullum corpus retinere poſſe, niſi idem fluidum humidum & tenue fuerit, rationi minime conſentaneum eſſe videtur.

Quare vt ad propoſitum reuertar, animalia, mineralia & vegetabilia in hoc conueniunt, quod ad ſeparationem partium, præparationem & extracti perfectionem, menſtruo egeant omnia, eoque vel immediate adhibito, vt poſtea apparebit.

Sed cum vt dixi corporis commiſtione multum inter ſe differant, eiuſdem ſeparandi rationem longe diuerſam requirere, rationi conſentaneum eſt.

Quare hoc demonſtrare nunc aggredior, ad quam conſiderationem aſſequendam ponamus prius corpora omnia, quo ſicciora & duriora natura fuerint, eo difficilius extrahi poſſe, ſeparatis videlicet partibus tenuioribus naturali concoctione: Reliqua tam arcte & firmiter cohærent, vt non niſi magno labore ſeparationem patiantur.

Vnde cuiuis colligere facile eſt, iſta tria, animalia mineralia & vegetabilia duas tantum præparationis formas requirere ad partium extractionem, quamuis omnia, vt prius ad extracti perfectionem & abſolutionem menſtruo neceſſario opus habeant. Aut enim immediate cum menſtruo extrahuntur, aut mediate. Si immediate, id eſt, ſine vlla corporis eiuſdemque temperamenti alteratione præparationem, ſeparationem, ac partium internarum & eſſentialium, facile cum menſtruo concedunt, talia ſunt corpora omnia mollia & non validæ concoctionis partiumque commiſtionis, cuiuſcunque ſint generis.

Ad quam claſſem referuntur omnia vegetabilia, mollia & non lapideſcentia, itidem & animalia exceptis oſſibus, vt poſtea audiemus. Eorum præparatio talis eſt. Herbæ ſiccæ, flores, aromata, fructus ſemina, radices, gummata, animalium partes molles, vt moſcum, &c. pulueriſantur, contunduntur, inciduntur, aut quouis modo in minimas partes comminuuntur, menſtruo idoneo in proprio vaſe perfunduntur, ad altitudinem 3. aut 4. digitorum, macerentur, vel digerantur ad tincturæ extractionem, quæ poſtea à capite mortuo ſeparatur, digeritur, depuratur, ſecundum omnes depurationis modos in terminis deſcriptos, menſtruum ſeparatur deſtillatione vel euaporatione ad iuſtam extracti conſiſtentiam. Si vero purius & melius

extra-

Digitized by Google

extractum præparatum velimus, vt ſubtiliorum & tenuiorum partium euadat, hoc extractum prius præparatum rurſus affuſo nouo menſtruo extrahimus, vt prius, hocque toties (ſiquidem ſummam puritatem educere animus eſt) reiteramus, donec in digeſtione aut circulatione propter depurationem tincturæ inſtitutæ, nullas fæces deponat, nullamque prorſus reſidentiam faciat.

Tunc enim extractum eſt puriſſimum & ab omni ſuperflua terreſtreitate liberatum. E. G.

Extractū fol. Sennæ. Rec. fol. Sennæ mund. libram vnam. Infundantur in menſtruo idoneo vaſe optime clauſo ad ſaturatam tincturam digeratur; à fæcibus tinctura ſeparetur & depuretur: ſeparato deinde menſtruo extractum coaguletur, & ſic habebis extractum ſenæ communiter præparatum. Huic extracto affundito nouum menſtruum ad tincturæ viciſſim extractionem, à fæcibus purgetur, digeratur & coaguletur, hocque toties repetatur, donec tinctura in digeſtione, vt prius nullam ſubſidentiam faciat: tandem iterum coaguletur.

Et ſic puriſſime & optime præparatum Senæ extractum habebis.

In iſtis extractis præparandis hoc notandum: Si corpus extrahendum leuiores & ſubtiliores habuerit ſpiritus, vt in maceratione & digeſtione vaſa optime obturentur.

Si vero craſſiorum partium fuerit tantum abeſt, vt tam diligenti vaſorum obturatione vti ſit neceſſe, vt etiam nonnunquam in vaſe patenti ad tincturę extractionem in menſtruo idoneo coquantur, vt videre ſæpe eſt apud ſcriptores.

Atque hæc de prima ratione extrahendi, quæ tantum verſantur circa mollia penetrabilia & facile ſeparabilia. Vnde ſit quod menſtruum idoneum ſine magna præparatione (ſuperficiali ſcilicet ſola excepta, quę locum in omnibus præparationibus obtinet) ea ſeparat. Nunc ad eorum præparationem accedam, quæ nullam à menſtruo extractionem admittunt, niſi interpoſitis quibuſdam præparationibus corpus ipſum alterantibus, & menſtruo obnoxium reddentibus.

Talia ſunt omnia fere mineralia, præcipue vero metalla, quæ propter perfectam commiſtionem & partium omnium arctam firmam & amicam cohærentiam, niſi prius mutato totius compoſiti temperamento, & conſtitutione partium eſſentialium, ſeparationem nullam

lam admittunt. Quare artifices, vt hoc facerent, id eſt, partium omnium diſſidium inducerent, ſine quo nulla eſſe poteſt ſeparatio, calcinationem inuenerunt, eamque actualem, quæ igne actuali videlicet perficitur. Hac enim ratione, vt audiuiſtis in terminis calor naturalis intenditur, humidum radicale augetur. Corpus vero ipſum ſiue eius terreſtreitas ſiccior redditur, ac continuitas diſſoluitur, omnem aqueum humorem abſumendo præcipue alimentarem, qui tanquam gluten totius ſoliditatem firmiſſime continebat.

Quibus rite peractis cuiuis obuium eſſe reor, quomodo immutatum & alteratum ſit corporis illius temperamentum: Siquidem eiuſdẽ ac partiũ omnium tam firma cohærentia & tenacitas, quæ ex aqueis & tenuioribus partib. longa cõcoctione condenſatis & inſpiſſatis cõflata erat, iiſdem nunc prorſus ſiccatis ac ante diſſipatis, diſſoluitur. Vnde tam mala partium compoſitio & cohærentia conſequatur, neceſſe eſt, vt non ſolum menſtruo idoneo, ac ſuo tempore adhibito paraat aditus per poroſitates in interna corporis & per eadem tranſitus ſiue regreſſus; verumetiam partium omnium ſubtilium & aerearum ac viſcoſarum in eo diſſolutio, eductio, & ex eo corpore ſeparatio, ac tandem perfecta & abſoluta earundem extractio.

Atque hac ratione non ſolum mineralia, ſed etiam quæcunque ad mineralium naturam præ nimia duritie accedere videntur, præparantur, vt ſunt vegetabilia omnia, lapideſcẽtia vt corallia: animalia vt oſſa & vniones. Forma procedendi talis eſt vt prius calcinentur quemadmodum alibi præſcriptum eſt, additis corpus penetrantibus, ſi opus fuerit: poſtea in menſtruo idoneo digerantur, vſque ad tincturæ ſeparationem, vt E. G.

Rec. aurum optime purgatum & præparatum, idem vapore ſaturni calcina, calcem iſtam viciſſim cum ſale armoniaco reuerbera, ſalem aqua ſtillatitia à calce ablue, calci deinde menſtruum idoneum affunde in balneo, poſtea in Fimo equino aliquot dies digere, donec tinctura appareat, illam ſepara & aliud menſtruum appone, & fac vt prius, donec amplius menſtruum non tingatur, ſolutiones poſtea omnes in vnum collige, & ad extracti conſiſtentiam deſtilla, ac euapora. Item extractum Martis ſic paratur.

Rec. calcem Martis bene præparatam, in aceto alcoliſato digere, tintincturam ſepara, & ſic procede cum nouo menſtruo, donec tincturã

Digitized by Google

totam extraxeris, tandem omnia menſtrua tincta ſimul ad ſiccitatem deſtilla. poſtea extractum propter menſtrui extrahentis acrimoniam, cum ſpiritu vini iterum eſt extrahendum, digerendum aut circulandum, donec totam acrimoniam depoſuerit, quod vt ſæpius audiuiſtis, in omnibus eſt obſeruandum. Hic idem modus procedendi in animalibus & vegetabilibus lapideſcentibus obſeruandus eſt, vt ſunt oſſa, corallia, vniones, & cæt. Quamuis non raro modos extrahendi oſſa, vniones & huiuſmodi ſine calcinatione, cum idoneo menſtruo apud autores inueniamus. Verum obſeruandum eſt, hinc huiuſmodi præparationes longe à priori forma extractionis differre: quod circa mollia corpora tantum verſetur, cum illa tot cohobiis, tot digeſtionibus & igne tam violento, vtpote mineralibus ſolum accommodato abſoluatur, vt diligenter conſideranti quintam eſſentiam cranei humani, Quercet. ſatis apparet.

Atque his abundanter ſatis dictis, de extractione corporis partium magis eſſentialium, quæ menſtruo præparantur, tempus eſt reliquum inſtituti, vti cæpimus, promere, ſi quædam in omnibus extractis æque obſeruanda notauero.

1. Sciendum extracta tum ſimplicia ex vna ſimplici materia, tum compoſita ex multis iiſque ſæpe diuerſis comparari, in quorum compoſitorum præparatione omnium ingredientium natura & compoſitio eſt penſitanda. Sæpe enim, vt multoties inculcatum eſt, vnum & idem menſtruum omnibus extrahendis non inſeruit, vno eodemque modo depurari non poteſt. Quo obſeruato, artificis eſt, ſingula quæque ingredientia in ſuis menſtruis ſeorſim extrahere. Extracta deinde omnia communi aliquo menſtruo (prius tamen depurata & à fæcibus ſegregata) digeſtione, circulatione & tandem coagulatione coniungere & vnire.

2 Solent artifices corroborare vel corrigere aliquam noxiam extractorum qualitatem, quam ex ſua matrice, vnde præparantur hauſerunt, tanquam naturale & inſeparabile accidens quamdiu eſſentiam ſuam ſeruat, adiectis quibuſdam cordialibus, vt ſunt eſſentia corallorum, vel eorundem ſolutiones lapides pretioſi præparati, moſchum Zibetum, ſuccinum, vel aliquem puluerem cordialem ex multis concinnatum, vel olea, vel prius, chymice præparata. Quæ omnia ſciendum eſt, minime adiicienda eſſe, priuſquam extracta perfectam conſi-

conſiſtentiam iam acquiſiuerunt, vel ſaltem eo deducta fuerunt, vt iis adiectis eam acquirant, idque extracto iam remoto ab igne & ferme refrigerato.

Hoc duas ob cauſas præcipue obſeruandum eſt. 1. nam pulueres calente adhuc extracto immiſſi comburuntur.

2 Propter nimium calorem ſpiritus aereæ & partes expirant, & hunc ſpatula optime commiſcendi ſunt. Et ne ad vſum huiuſmodi extracta vaſe optime clauſo ſeruanda ſunt.

Quia vero quintæ eſſentiæ mentionem antea faciebam, vt quædam de ea breuiter dicam, ſciendum eſt, quintam eſſentiam, vt quidam putant, non eſſe quintum elementum vt Paracelſus 4. Archid. affirmat, ſic dicens: Nec intelligendum eſt, quintam eſſentiam fore quintum eſſe ſupra elementa, poſſet etiam exiſtimari quintam eſſentiam fore temperatam quandam eſſentiam non frigidam, non humidam, non calidam, non ſiccam, quod non eſt. Nam nulla res eſt, quæ habet intemperatum per quod ſcilicet poſſit ab elementis ſeparari, ſed habet naturam ſuam ſecundum elementa, vt quinta eſſentia Solis ſecundum ignem, Lunæ ſecundum aquam, ſaturni ſecundum terram, Martis ſecundum aerem. Hæc ille, ſed vt dicit etiam 4. Archid. Quinta eſſentia eſt ſola virtus rerum, vel vt alibi eſt, quæ calorem exhibet, prout etiam virtutem, id eſt, vt ſeipſum alibi explicat: Quinta eſſentia eſt calor, vita & rerum proprietas, & tanquam anima corpori inhærens, quæ à corpore ex omnibus quatuor elementis adhuc conſiſtenti ſeparari poteſt, ſed ita vt naturam ſuam & eſſentiam ſpecificam amittat, vt citato libro ait; poſtquam aurum ſic colore (quem ſimul cum virtute quinta eſſentia accepit) priuatum fuerit, ſua quinta eſſentia etiam priuatum eſt. Idem de reliquis metallis eſt iudicium, ac de omnibus aliis corporibus, quibus ſi color ademptus fuerit, ſua materia priuata ſunt: Vnde elementum prædeſtinatum appellat vt lib. 3. Archid. de ſeparationibus elementorum loquens ſic dixit: vna eſt, quæ ſpectat ad ſeparationem prædeſtinati elementi, quam in lib. de quinta eſſentia declarauimus, altera quæ ſpectat ad quatuor elementa, quæ ſunt ſubſtantialia in creſcentibus.

Per hoc intelligitur prædeſtinatum elementum eſſe quintam eſſentiam, quod corpus prædeſtinatum in concurſu &

elementorum commiſtione perficiat, ac in eſſe ſuo ſpecifico conſtituat: quo ſeparato eſſe ſuum ſpecificum manentib. adhuc quatuor elementis corpus ipſum conſtituentibus amittit ac deſinit amplius eſſe illud ipſum, vel illud corpus, vt aurum priuatum ſuo colore & tinctura non amplius eſt aurum.

Ex quibus colligere licet, Paracelſum in omni corpore duo, diuerſa elementorum genera conſtitere, quorum vnum corpus ipſum conſtituit, & ſunt quatuor: Ignis, aer, aqua, terra.

Vnde corporalia & ſubſtantialia vocat, aliud quod rei colorem, vitam, naturam & eſſentiam dat, vnde eſſentiale nuncupatur, quod dicit initio libri de elementorum ſeparationibus, ſe ita ponere ad clariorem eiuſmodi ſeparationum elementorum intelligentiam.

Quare ex eius ſententia lib. 4. Archid. Quinta eſſentia eſt materia quædam corporaliter ab omnibus creſcentibus, quæ natura producit, extracta, & ab vnoquoque vitam in ſe habente, ab omnib. impuritatibus ſeparata, ſubtiliſſime mundata, & ab omnibus elementis ſeparato. Quod intelligendum eſt ita, vt ipſe ſeipſum explicat libr. de arcanis, quod ad alia corpora comparata, incorporalis, cœleſtis immortalis ſit iudicanda. Nam vt prius audiuiſtis ſecundum eum lib. 4. Archid. ſuam ex elementis exiſtentiam habet.

Hæc de vera eſſentia, ex quibus facile eſt colligere, quid tinctura ſit, cuius etiam mentionem fecimus, nihil aliud nimirum quam color, virtus, eſſentia corporis ab omni ſuperflua terreſtreitate, quomodo arte fieri poteſt, ſeparata.

Vnde tinctura alioquin extracti conſiſtentiam habet, magis tamen frequenter tinctura dicitur cum in diluta ſeu fluida ſubſtantia reſeruatur; ita vt ad tantam puritatem perducatur, vt ſine vlla reſidentia longo tempore, reſeruari poſſit.

Atque hæc dixiſſe ſufficiat de præparatione partium corporis magis eſſentialium, quæ cum menſtruo extrahuntur, ordine ſequeretur, vt de extractione partium ſiccarum minus eſſentialium, quæ cum menſtruo etiam præparantur, dicerem, quæ eſt ſalium tantum, de quibus opus non habeo prolixe dicere, ſiquidem eorum præparationem in ſeparationibus attigi, neque ex ſe adeo eſt obſcura.

Quare vno exemplo omnium præparationem ſatis erit monſtraſſe. Rec. abſynthiu[illegible]ptime ſiccatum in cineres perfectiſſimos, comburatur

Digitized by Google

buratur, cineres menſtruo idoneo perfundantur, bulliant, vel in loco calido locentur ad tincturæ extractionem, ſæpius interim baculo agitando, à capite mortuo lixiuium effundatur, depuretur filtretur ad ſummam puritatem, poſtea in ſal coaguletur, ſic ſalem abſynthij vel cuiuslibet herbæ habebis.

Atque hic finem internarum corporis partium viſcoſarum, & inter ſe tenaci ac glutinoſo quodam vinculo cohærentium, tum denique omnium, quæ cum menſtruo extrahuntur præparationibus impono: ac ad ægre inter ſe cohærentium partium ac inſtar pulueris & farinæ facile à ſe inuicem diſcedentium extractionem accedo.

Hactenus ergo de ſeparatione partium eſſentialium corporis cuiuslibet, quæ interuentu humidi medij, id eſt menſtrui abſoluuntur, egimus: nunc reliquum & vltimum eſt, vt de iis quæ per ſiccum medium ſeparantur partibus agamus, quas flores vocari antea diximus.

Quorum præparationem vt diſtinctius tractemus, ſciendum eſt, nos hic tantum agere de floribus proprie dictis, qui videlicet per ſublimationem præparantur, alioquin enim floris nomen generaliter vſurpatur, pro omni tenuiſſimo & leuiſſimo puluere arte quadam à craſſiori corpore ſeparato: Vnde crocus Martis, Veneris, &c. per fumigationem factus aliquando flores ab autoribus nominantur, aliquando etiã pro tenuiſſima & leuiſſima corporis parte quocunque modo à toto ſeparata. Vnde ſpuma in decoctione tartari eleuata flos tartari appellatur: item leuior pars lactis in ſuperficie effloreſcens, cremor vulgo dicta, flos eiuſdem dicitur: ſic etiam in fermentatione cereuiſiæ recentis ſpuma illa innatans flos cereuiſiæ vocatur. Sed vt dixi, his omiſſis ad veri floris præparationem accedam, quæ nihil aliud eſt, quam tenuior, ſubtilior & leuior corporis pars, vrgente calore à craſſiori terra, halitus forma ſeparata, & vaſis lateribus congelata adhæreſcens pulueris, ſeu potius vt dixi farinæ volatilis inſtar.

Hi maxime ſeparantur ex mineralibus (quamuis nonnulli contendant ex ſalibus flores vegetabilium ſublimare) de quibus hic tantum dicemus, cum aliorum flores apud ſcriptores non inueniantur.

Ad florum idcirco ſeparationem faciendam, non minus quam in aliis præparationibus ad corporis compoſitionem inſpicere inprimis

Digitized by Google

debemus, duræ ne an leuioris, facilis an difficilis ſeparationis fuerint. Sic enim facilius inuenietis, quæ ad florum, ſingulorum corporum ſeparationem media quædam requiri, vt videlicet citius, facilius & perfectius abſoluatur: tamen quædam ſunt corpora, quæ prius notaui, quæ à perito artifice in partes ſuas ſine vllo medio ſeparari poſſunt, vt Antimonium, &c.

Quare hoc obſeruandum eſt, corpora huiuſmodi, quæ læuiores nimirum habent flores & facile ſeparabiles, ſi cum cura & diligentia ignis admoneatur, poſſe ſine medio ſuos flores reddere: alia vero quamuis ſatis leues habeant flores, tamen propter firmam corporis commiſtionem ſine medio aliquo ſeparante & fæces in fundo retinente præparari non poſſe. Nam vt ad puritatem ſublimeatur, & flores à groſſa terra bene ſeparentur, in huiuſmodi corporum ſublimationibus, quæ nimirum ſubtiliſſimas partes tam vniformiter ac fortiſſime groſſis coniunctas habent vt ſulphur æs viride, neceſſum eſt, non ſolum ſummam ignis proportionem adhibere, verum etiam corporis alicuius commiſtionem facere, quod fæces ſecum in fundo retinere valeat.

Vt igitur ad praxim veniam ſciendum eſt, flores non eodem modo ex mineralibus omnibus ſeparari poſſe, vt ſupra propter diuerſam corporis compagem & ſtructuram. Aliter etiam ex ſpiritibus, vt ſulphure & Antimonio, aliter ex metallis vt Sole & Luna.

Nec minus & ſic ſpiritus inter ſe differunt, quidam enim vt Antimonium cum flores & ſubtiliſſimas partes non tam arcto groſſioribus coniunctas habent, ab exercitato & induſtrio artifice ſine medio poſſunt ſeparari, verum longius tempus ad præparationem requirunt. Alij vero vt ſulphur, propterea quod ſubtiliores partes à groſſis ægre ſeparentur, vt ad puritatem perducantur, medium aliquod immiſtum omnino requirunt: quorum ſublimationem E.G. ſulphuris præparatione indicabo, quæ talis eſt.

Flos ſulphuris. Rec. Sulphuris puri libram vnam, ſalis præparati, vitrioli calcinati an. libram vnam, optime puluериſentur, & ſuper marmore incorporentur, ſublimatorio indantur, ſuppoſito prius lento igne ad humiditatis extractionem, flores paulatim igne aucto ſecundum artem ſublimentur, quo cum nouis ſpiritibus eodem pro ceſſu rectificari poſſunt.

Ex metallis vero vt parentur flores, longe alia ratio eſt.

Quædam

Quædam enim prius requirunt calcinationem tum materialem tum eſſentialem. In eorum enim florum deſtillatione non minus quam in extractione, vt ſupra dictum eſt, requiruntur, vt opus prius ad ſeparationem præparetur, poſtea igne fortiſſimo ſine vlla alterius admiſtione corporis (quia illorum terra eſt fixa) ad florum ſublimationem ſeparantur: Vel in quibuſdam aliud volatile corpus additur, quod plerunque eſt, ſal armeniacum, ſal n[illegible]m, aut huiuſmodi, quod ſecum ſubtiliores corporis partes ſeparat ac aufert, poſtea illud corpus ablutione à floribus ſeparandum eſt.

Sed cum huiuſmodi præparationes perſpicue ſatis apud autores, qui eas deſcribunt, proponantur: his generalibus ad meliorem eorundem ſcriptorum intelligentiam notatis, hic ſiſto & finem generalioribus medicamentorum præparationibus impono.

DE AVRO.

Fiunt medicamenta ex auro vel

- ſolo vt:
  - tinctura.
  - liquor.
  - flos.
  - Mercurius præcipitatus Solis.
- Cum aliis miſto vt:
  - Mercurius vitæ.
  - Aurum vitæ.
  - Vitrum Auri.

DE AVRO.

Ex Auro ſolo hæc præcipue medicamenta conficiuntur à chymicis, tinctura, liquor, flos, Mercurius præcipitatus Solis. Ex Auro vero cum aliis miſto fiunt hæc medicamenta, Lapis philoſophicus, Mercurius vitæ, Aurum vitæ, vitrum Solis, &c.

Tinctura Solis hoc modo præparatur.

Rec. Auri partem vnam, antimonij partes tres, immitte in tigillum fuſorium & accenſo forti igne fundantur, cumque bene fuſa fuerint, infundas in crucibulum acuminatum, quod malleo percutiatur, dum refrixerit, & ita Aurum fundum crucibuli petierit, quod à reliquo ſtibio decutiatur: iterum tigillo fuſorio indatur, fundatur & dum ſteterit fuſum iniiciatur parum ſalis.

ſalis nitri vt ſpiritus ſtibij tanto facilius ſolem deſerant: cumque hi omnes euaporauerint, iniiciatur parum chryſocollæ, cum quo fundatur aurum, quod deinde effundatur in canaliculam, cera virginea oblitam, exemptum igniatur, ignitum reſtinguatur, & abluatur ſpiritu tartari: deinde hoc aurum denuo fundatur, cum duabus partibus Antimonij, proceſſu ſuperiore repetito, cum adiecta ignitione & ablutione ſpirituum tartari: tertio denique fundatur cum æquali pondere reguli Antimonij, ſtentque in leuiore fuſione, dum regulus totus euaporauerit, iniecto aliquoties ſalis nitri, euaporatoque regulo, iniiciatur parum chryſocollæ, effundatur denuo in canaliculam cera virginea oblitam, vt prius, adiecta tum ignitione tum ablutione. Hac enim ratione aurum euadit admodum nobile, & ab omni externa ſubſtantia ad ſummum depuratum. Hoc aurum deducetur in tenuiſſimas bracteolas, quæ oleo ſalis ſoluantur: ſolutio deſtilletur, donec totum oleum abſtractum fuerit: paſtæ in fundo relictæ denuo nouum oleum affundatur, idque toties repetatur, donec calx aurea ſatis attenuata fuerit: acredo relicta abluatur aqua communi deſtillata, calx ſiccetur, reuerberetur cum ſale armoniaco præparato chymico more ſublimato.

Inter reuerberandum hæc cautio adhibenda, ne reuerberatorium vi ſpirituum ſalis armoniaci rumpatur, quocirca à reuerberatione abſtinendum, cum in foramine, quod in pyxide cœmentatoria eſt, alioquin vndique lutata, ſpiritus puniceus exurgit. Peracta reuerberatione refrigeretur ſua ſponte, exemptus puluis læuigandus exacte, vt fiat quaſi tactu impalpabilis, eluendis deinde in cōcha pura quam puriſſime, vt ſal decedat totus. Calx relicta exiccanda ſuper cineribus calentibus, cui exiccatæ affunditur ſpiritus vini therebinthiaci ad eminentiam duorum vel trium digitorum. Digeratur denuo & coletur ſpiritus vt ſuſcipiat tincturam, quam effunde repoſito alio ſpiritu, quo peracto tincturæ ſolent elici, ſolutiones in vnum collectas, deſtilla per retortam cum cohobiis, donec tinctura exeat, menſtruum ſepara in balneo leni: Eſſentiam circula cum quinta eſſentia vini ad nobilitatem ſummam. Huius tincturæ ʒ j. miſta cum vncia vna aquæ theriacalis optimæ ad ſcrupulum vnum mane ieiuno ſtomacho ſumitur, continuandumque decem dierum ſpatio. Hoc medicamentum Diaphoreticum eſt per ſudores ſuperfluos noxios expurgans vniuerſi corporis humores.

vel ʒ j. drachma vna.

LI-

LIQVOR SOLIS, VEL AVRI.

Eſt aurum diſſolutum in ſuo menſtruo acuto, & ad conſiſtentiam liquoris potabilis vna manente aliqua menſtrui portione, quanta ſatis deductio. Itaque penitus exhauſto menſtruo reduci poteſt ad naturam priſtinam: præparandi via hæc eſt.

Rec. Aurum optime per Antimonium, vt in præcedenti præparatione docuimus, præpurgatum, inque lamellas vel folia extenuatum, indatur vitro oblongi colli: affundatur ei ſpiritus ſalis acerrimus ad altitudinem quatuor ad ſummum digitorum, clauſo vitro, ad calorem fimi vel ſimilem ponatur ſpatio trium vel quatuor hebdomadarum, peracta digeſtione ſpiritus ſalis lenta deſtillatione abſtrahatur, non tamen totus, ſed relicta parte, quæ liquiditatem oleoſam præſtare poſſit. Ita ſolutum quidem Aurum eſt, ſed nondum attenuatum ſatis. Itaque nouo ſpiritu ſalis affuſo digeritur calore priori per ſeptem dies, poſtquam mutatur alio, & ſic deinceps repetita operatione quouſque Auri ſubſtantia videtur ita attenuata, vt cum menſtruo exacte ſit permiſta, eiuſque gutta in vinum limpidum coniecta id veluti crocus tingat citra præcipitationem ad fundum. Tunc ſolet tota quantitas menſtrui, quæ prius particulatim abſtracta eſt, & reſeruata, reponi, vna digeri, & tandem lentiſſimo igne perfici tota, non relicta parte vt prius.

Huius guttæ duæ vel tres (quarum tamen vis retundatur addito aliquo leniente, vt ſyrupo violaceo, roſaceo vel ſimili) exhibentur ægro, cui nutritionis vel facultatis vitalis viſcera laborant, cum competente vehiculo, mirifice enim hæc viſcera corroborat.

FLOS SOLIS.

Eſt ſubtiliſſima præſtantiſſimaque Auri pars per ſublimationem extracta: præparandi via eſt: Aurum apprime per Antimonium purgatum & ſpiritu ſalis (vt in ſuperiori præparatione dictum) ſatis attenuatum, cum ſale armoniaco præparata ſublimatoque ſublimatur in alembicum cæcum ſecundum artem, vt cum ſale euehatur flos ſolis, craſſa parte in fundo relicta.

Salem poſtea elue per dulcem aquam ſtillatitiam.

Vſus eius eſt in colicis doloribus, ſimilibuſque obſtructionibus, doſis eſt grana ſex vel ſeptem in conuenienti liquore vel vehiculo pro perſonarum & affectuum varietate.

AVRVM VITÆ.

Aurum per antimonium optime repurgatum, in bracteolas tenuiſſimas deducitur, & cum argento viuo amalgamatur, ita vt Mercurius ſextupla proportione aurum excedat: ſupra hoc amalgama affunditur Aqua regis dupla proportione ſuperans ipſum amalgama, ſoluitur: ſeorſim accipiuntur flores albi reguli antimonij æquali pondere cum Auro, quorum præparatio ſuo loco ſubiungetur: itidem in duplo aqua regis ſoluuntur, ſolutiones confunduntur, ab iis deſtillatione extrahitur Aqua regis ad ignitionem vitri, maſſa in fundo relicta eximitur, teritur, puluerisatur: iterum in vitro affunditur Aqua regis & deſtillatione denuo extrahitur: Iſque labor quinquies vel ſexies reiteratur: ſingulis tamen deſtillationibus aliqui 1 ſublimatur vel ad alembicum, vel ad latera vaſis id abiiciatur. Tandem maſſa denuo exempta teritur, trita patenti vaſi fictili vitreato imponitur ſuper prunas ardentes, vt ſpiritus Aquæ regis euaporent, & puluis puniceum colorem extraxerit. Hic puluis aqua ſtillatitia dulcoratur, affuſa aqua ſupra puluerem, cum quo ſtet fere per diem in calore lento, qua effuſa alia recens affunditur: is labor quater vel quinquies repetitur. Tãdem pulueri exiccato affunditur ſpiritus vini optime rectificatus cum eo digeritur ſpatio trium vel quatuor dierum, quo tempore peracto hic ſpiritus vini à puluere effunditur affuſo nouo, qui denuo cum puluere ſpatio trium vel quatuor dierum calore lento digeritur: tandem deſtillatione abſtrahitur, is labor ſexies repetatur ſuperaffuſo nouo ſpiritu vini poſtremo pulueri exiccato affunditur aqua roſacea, cum qua etiam lento calore digeritur ſpatio trium dierum, quæ tandem etiam deſtillatione abſtrahitur, affuſa noua aqua. Iſte labor ter repetitur, & ita eſt Turbith minerale præparatum.

Querc. de remed. ſpag. præpar. pag. 102. Virtus eius eſt, præcipue in lue venerea ac viſcidis & craſſis humoribus expurgandis. Huius exhibentur grana octo, cum conſerua aut aqua theriacali, debitis purgationibus ad curationem luis venereæ. Cum drachmis duabus extracti cucumeris agreſtis, drachma vna extracti hermodactylorum & ſcrupulo ſemis dicti Auri vitæ. Fiat mixtura, cuius ſcrupulus, ſemis miſcetur cum drachmis duabus aquæ theriacalis, & fiat potio, quæ exhibetur podagricis quater aut quinquies pro vetuſtate morbi, & ægrotantis viribus vere & Autumno.

Nam

Nam ſine vlla perturbatione ſeroſa excrementa mirum in modum expurgat.

Ad hydropem curandam talis conficitur compoſitio ſeroſa excrementa purgans & viſcera nutritionis corroborans. Recipe Auri vitæ ſcrupulum vnum, extracti Alhandali & elaterij an: ſcrupulum vnum ſemis, extracti hellebori nigri optime præparati, Rhabarbari an: ſcrupulus vnus eſſentiæ corallorum, ſantali citrini an: ſcrupuli duo, ſpiritus vitrioli ſcrupulus vnus, olei Maſtiches, cinnamomi an: ſcrupulus ſemis, excipiantur puluere cubebarum & mucilagine gummi tragacanthi, formentur pilulæ. Doſis ſcrupulus ſemis ad integrum.

Exhibeantur bis in ſeptimana, ſi vires ferant. Si cum diaphoreticis miſceatur, ſudores ſolum mouet, & multis etiam hac ratione affectibus medetur. Cum butyro ſolum permiſtum cancroſa & phagedœnica præſertim luis venereæ vlcera curat, quemadmodum & fiſtulas ac omnes calloſitates. Ex iſto pharmaco & Auro vitæ prædicto fit emplaſtrum, quod ſi cum tenui cera in collum veſicæ imponatur, vt decet, ipſius vlcera & caruncula omnino ſine dolore aufert.

VITRIOLVM SOLIS, SIVE AVRI.

Eſt glacies vitrea reſoluto auro extracta. Via præparandi hæc eſt. aurum purum in laminas tenues extenſum ſuſpende ſuper vrina puerorum, vel aceto vini cum ſale deſtillato miſtis, vel recrementis vrinarum in matula vitrea cuius orificium probe ſit obſtructum: pone in cumulum acinorum vuæ calentem, vel fimum equinum, vel ſimilem calorem, ſtet dies quatuordecim vel tres ſeptimanas: auro adhærebit ſubtilis quidam puluis, quem collige pede leporino deterſum, ac repete hoc opus, quo vſque placet, poteſt enim totum corradi. Abraſum crocum coque in aqua pluuiali deſtillata ſemper agitando per ſpatulam, & aſcendit ſulphur & innatat aquæ, quod collige ſeorſim. Sulphure abſtracto, collige reliquum & coagula, in fundo erit vitriolum ſolis.

Huius vitrioli grana quatuor ad ſcrupulum ſemis dantur ex competenti liquore, præcipue ad cerebri affectiones, & ad oppilationes deobſtruendas ſumme efficax.

L 2 MERCV-

Digitized by Google

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS SOLIS.

Quer. de medi. Spag. prap. pag. 81.

Auri album corpus (extracta vt ſæpius docuimus tinctura (cum triplo ſalis tartari, octaua Antimonij & quarta ſalis vitrioli imbuitur cum mellacida muria, digeritur ſpatio trium ſeptimanarum, deinde deſtillatur, aqua emanans rurſus affunditur, idque donec ſatis attenuatum fuerit corpus, reiteratur: deinde ablatis ſalibus, cum æquali pondere præparati ſalis armoniaci miſceatur, ſublimetur in florem, qui flos irrigetur oleo tartari ad eminentiam vnius digiti: digerantur per octiduum: tandem depleatur oleum & calx, & ſiccata immittantur ſequenti aquæ Mercuriali, in qua ſoluetur in mercurium. Aqua vero dicta fit ex regia, cui imponitur Mercurius dimidio pondere reſpondens aquæ, cumque Mercurius in calore leui, in aqua ſolutus fuerit, digerantur calore putrefactionis ſpatio quatuordecim dierum, deinde deſtillentur: Sic aqua mercurialis per quam Mercurius ſolis fit præparata eſt. Hoc mercurio in vaſe conuenienti impoſito præcipitatur per ſe in fumo Athanotis febrili calore, proditque in puluerem rubeum; cuius exhibentur grana octo cum vino aut aqua theriacali ad hydropem curandam & luem veneream, idque ſolis ſudoribus.

DE LAPIDE PHILOSOPHICO.

Quæ partim theoria, variorum philoſophorum lectione, doctorumque virorum conuerſatione, partim praxi, tum propriis tum aliorum exemplis cognita habeo, poſterius ſingulari tractatu de altera chymiæ parte explicabo.

MERCVRIVS VITÆ.

Nihil aliud eſt, quam aurum cum triplo reguli, antimonij, fuſum, eumque in Mercurium duplum redactum: quod deinde per ſe in conuenienti vaſe impoſitum febrili calore prodit in puluerem rubeum; ex quo ſpiritu vini tincturam extrahes, quæ eſt Medicina omnium fere præſtantiſſima ad deploratiſſimos morbos curandos.

Sanguinem enim corruptum purificat, humores qui adhuc in fieri ſunt, ſi ad deteriores ſuccos inclinent, corrigit & ab excrementis omnibus corpus vniuerſum purgat ſolis ſudoribus.

VITRVM SOLIS.

Recipe Auri puriſſimi, reguli antimonij puriſſ. partes tres, fundantur,

dantur, fuſa effundantur in canaliculum, refrigerata terantur, trita indantur ſcutellæ terreæ vitreatæ leni igne calcinentur ſpatio duarum vel trium horarum, calcinata denuo fundantur per quadrantem horæ; tum effundantur in lapidem marmoreum in vitrum, quod quidem vitrum eſt ſtomachicum per ſuperiora purgans, ſi granum vnum vel duo ſumantur, vel pilulæ formentur cum theriaca, vel infundantur in vino vel aqua theriacali.

DE ARGENTO.

Argentum eſt metallum perfectum paulo infra aurum, album, conſtans Mercurio mundo, probe fixo, & ſulphure mundo albo, perſiſtens in examine cineritij.

Vis eius medicamentoſa præcipue concernit cerebrum.

Parantur ex eo à peritis chymicis, hæc præcipue medicamenta, flos, oleum & tinctura.

FLOS LVNÆ SIVE ARGENTI.

Paratur more auri, niſi quod in calcinatione loco ſpiritus ſalis accipimus aquam fortem.

OLEVM LVNÆ, VEL ARGENTI.

Calcina argentum per aquam fortem, calx diligenter exiccetur in tigillo igne forti, ne tamen fundatur, ſed ſtylo ferreo aſſidue moueatur, mox abluatur aqua communi ſtillatitia, & ſæpius exiccetur, exiccato ſuperaffundantur quatuor partes olei tartari optimi, ſuper marmore miſceatur & rurſus exiccetur, teraturque, tandem imponatur furno reuerberij in ignem flammæ per horas viginti quatuor, hoc facto tere denuo, totumque colloca in loco humido & ſoluatur in oleum.

Vt ſepares oleum à tartaro, affunde aquam tepidam, quantum ſatis eſt, & agita ſimul, & permitte ſubſidere oleum ad fundum, ſepara aquam à tartaro per filtrum, oleum Lunæ remanebit in fundo, quod ipſum lauabis toties, donec aqua non amplius ſapiat tartarum. Hoc oleum argenti fixum exhibetur ad Maniam, affectus omnes melancholicos & cerebrum ipſum corroborandum. Exhibentur eius guttæ duæ vel tres, cum aqua florum Betonicæ, ſaluiæ & Meliſſæ.

TINCTVRA LVNÆ, VEL ARGENTI.

Extrahitur ex eius floribus vel calce ſatis attenuata per ſpiritum vini, therebintinatum, ſeparatoque more tincturarum menſtruo, manet in fundo tinctura, quæ deſtillationibus in quintam eſſentiam exaltari poteſt.

Hoc medicamentum diaphoreticum eſt in morbis cerebri, inflammatione, neruorum conuulſione, morbo attonito, mania vel inſania & delirio, Hepatis, lienis, menſtruorumque vitiis & obſtructionibus obortis, ſingulare eſt remedium. Expellit enim prauas huiuſmodi corporis qualitates per poros, abſque omni timore, periculo, debilitatione, reſolutione aut imbecillitate virium; confortat membra principalia & ſpiritus vitales ac animales.

DE FERRO.

Ferrum eſt metallum imperfectum, durum, albedinis liuidæ in aperto, rubrum in occulto, plurimum habens ſulphuris, minimum volatilis mercurij, de vtroque tamen partem aliquam fixam, aliquam fugacem ſed hanc minimam.

Virtus eius medicamentoſa præcipue concernit lienem & omnes hæmorrhagias. Ex eo præparantur à peritis ſpagiricis hæc medicamenta, crocus & oleum.

CROCVS MARTIS.

Calcinatur limatura ferri violento igne cum florib. ſulphuris, donec rubeſcat, totaque eius terra putrida euaneſcat: Hanc per diem integrum reuerberato, tunc prodibit in puluerem purpureum ac tenuiſſimum cui ſuperaffunde aceti ſtillatitij optimi, ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, pone ad digeſtionem in cineribus calidis donec acetum rubeſcat, quo effuſo affunde nouum ſtillatitium acetum, iterum digerito, donec rubeſcat, idque repetito donec totam tincturam extraxeris: acetum collectum deſtilla in calidis cineribus ad ſiccitatem, maſſam rubram in fundo relictam puluerita, cui affunde aquam communem ſtillatitiam, ad eminentiam trium digitorum, ſine per diem ſtare ſimul, inde deſtilla noua affuſa aqua, idque toties repete, donec omnis aceti acredo euaporauerit. Huic pulueri affunde tandem ſpiritum vini optimum, digere & tandem deſtillatione abſtrahe, & ita Crocus Martis, præparatus erit.

Doſis

Doſis eſt grana ſex ad ſcrupulum ſemis, ad lienis omnes affectus, diarrhæam, lienteriam, dyſenteriam, fluxum hepatis, ad ventriculi corroborationem, & omnes externas & internas hæmorrhagias præſtantiſſimum & non mordax medicamentum, ſi conſerua roſarum aut ſymphyti, abſynthij permiſceatur.

Ad eoſdem affectus extrahitur oleum Martis per frequentia cohobia aceti & reiteratas deſtillationes, cuius doſis eſt à gutta vna ad tres in liquore conuenienti.

DE CVPRO SEV VENERE.

Cuprum eſt metallum imperfectum durum ex Mercurio & ſulphure impuro, quorum pars maior fixa eſt, minor non fixa, copioſior tamen quam in ferro, coloris rubei. Virtus eius eſt præſertim ſpiritus vitrioli veneris, diuretica & proinde concernens Renes. Præparantur ex eo precipue hæc medicamenta; ærugo, crocus veneris, tinctura, vitriolum veneris: & ex vitriolo ſpiritus, colchotar & oleum.

ÆRVGO HAC RATIONE CONFICITVR.

Lamellæ æris malagmate ex ſale & forti vini aceto oblinuntur, in fornace ventoſa magno catino vruntur, ita ne fluant, laminæ candentes extinguuntur aceto, in cuius libra vna ſemuncia ſalis armoniaci ſit ſoluta: acetum ſeponitur: laminæ iterum oblinuntur & reuerberantur, extinguũturque vt prius ita vt ſi quid ſquamarum exoriatur in iis id decutiatur. Tandem acetum coagulatum in lapidem, quem Aeruginem appellant; ex qua reuerberata in rubrum colchotar, & ſoluta in liquorem, iterumque coagulata fit crocus veneris. Vſus eius eſt ad phagedenica, chironica, cacoethica, putridaque omnia vlcera curanda; adhibetur in vnguentis & emplaſtris.

Præſtantius vero medicamentum ad eoſdem vſus fit, ſi laminæ veneris calcinentur in tigillo fuſorio cum floribus ſulphuris faciendo ſtratum ſuper ſtratum ſpatio viginti quatuor horarum dando ignem per certos gradus, cauendo ne laminę veneris fundantur. Hæ exemtæ indantur vitro, quibus affunditur ſpiritus therebintinæ & tinctura viridis in balneo Mariæ extrahitur, ſemper nouum affundendo ſpiritum, dum tandem non amplius tingatur: ſpiritus demum leni ignę extrahitur, tinctura in fundo relicta ſoluitur in humido, & prodit in oleum ſmaragdinum, ipſum circulato cum vini dulcedine, & habebis medicamentum præſtantiſſimum ad prædicta vlcera curanda, ſi cum butyro miſceatur.

VITRIOLVM VENERIS.

Laminæ calcinantur ſuperiori modo, calcinatis & reflexis affunditur ſpiritus vitrioli cum ſuo phlegmate, vt ſupernatet circiter decem digitos. Extrahatur cæruleum vitriolum & pellucidum, ſi circulentur ſimul in vaſe vitreo quindecim dierum ſpatio in balneo ſeparatur ſpiritus vitrioli & phlegma, ac tandem ſpiritus ſenſim deſtillatione per cineres ſeparetur. Hoc æris vitriolum dulcoratur cum conuenienti lotione, nempe phlegmate aluminis; demum ad rubedinem calcinatum nominatur Colchotar vitrioli æris, quod prodeſt ad curanda omnia vlcera maligna, ad callos detrahendos, ſi in fiſtulam collo obduratam immittatur, & ad delendas ſine dolore omnes excreſcentias; imo caruncùlam etiã in collo veſicæ exiſtentem curat, ſi cum emplaſtro aliquo permiſceatur, & cum tenui cereolo imponatur, vt decet.

SPIRITVS VITRIOLI ÆRIS.

Vitriolum edulcoratur & ſoluitur phlegmate aluminis, ſolutum probe colatur, & per chartam filtratur, vt euadat purius: tandem omnis aquoſitas in vaporario tepido ſinitur euaporare. Huic vitriolo in vitrum indito cucurbita probe lutata, affunditur ſpiritus vini probatiſſimus, vt fiat maſſa, ſinantur ſtare ſimul ſpatio duorum vel trium dierum. Vitro in furnum aperti ignis probe collocato, euocatur primum leui igne ſpiritus vini, tandem per gradus aucto igne violentiſſimo euocatur ſpiritus vitrioli æris, à quo per balneum ſeparatur ſpiritus vini & phlegma.

Hic ſpiritus ſummum arcanum eſt in Epilepſia, item Paralyſi, ſpaſmo, lethargo & ſimilibus morbis, ſuffocationibus matricis medetur, opilationes aperit, reſtinguit calores præternaturales in aquis appropriatis datus. Doſis eius eſt à guttis octo ad duodecim, ventriculum roborat, & materiam in eo febrium conſumit, capitis doloribus vtiliſſimus eſt. In morbo Epileptico ante & poſt paroxyſmum datur cum aqua pæoniæ & florum tiliæ.

Ex calcinato hoc vitriolo per retortam violentiſſimo igne euocatur oleum, quod ſpiritu vini digeritur menſis ſpatio, tandem reſeruatur ad vſus ſequentes. Ventriculum mirum in modum roborat, omnem enim in eo ſuperfluitatem & tartaream materiam conſumit & educit; in febribus vtiliſſimum, ſi ante paroxyſmum guttæ quinque vel ſe-

Digitized by Google

vel ſeptem exhibeantur in aqua abſinthij: appetitum per ſe cum pauca aqua menthæ, vel cum conſerua anthos ſumptum reſtituit ac famem inducit. Eſt enim hoc oleum verum acetoſum eſurinum, quod nullum tartarum, ſi frequenter vſurpetur, in corpore adhærere ſinit, calculum renum educit, podagricis perutile eſt, calores hepatis potenter reſtinguit, ſi cum aqua acetoſa aut cichorei bibatur. In prunella & aliis affectibus oris & putrefactionibus dentium, fiat ex eo & aqua prunellæ gargariſmus, ſic vt libra vna aquæ, drachmæ ſemis olei vitrioli æris addatur, & eo ſæpius os colluatur. Doſis eius eſt à guttis tribus ad quinque in vino vel aliqua aqua deſtillata appropriata.

DE STANNO, SEV IOVE.

Stannum eſt metallum imperfectum, molle, album, ſplendens cum liquore quodam conſtans Mercurio potiore in genere imperfectorum metallorum molliori fugaciorique quam duro, ſtabiliore tamen quam plumbum nigrum & magis excocto & ſulphure albo acri, ſed minus maturo.

Virtus eius authore Theophraſto, concernit pulmones, eiuſque præparationes cum plumbi præparationibus conſentiunt.

DE PLVMBO SIVE SATVRNO.

Plumbum eſt metallum molle, imperfectum, candidius ſtanno, ex Mercurio & ſulphure leniter coagulatis.

Præcipua eius virtus cenſetur ſplenetica.

Ex eo varia præparantur medicamenta, nempe oleum, ſal, ſacharum & balſamus.

OLEVM SATVRNI.

Minij libræ duæ in vas vitreum indantur, acetum deſtillatum ad ſex digitorum eminentiam affundatur, optime clauſum ſuper cineres collocetur, moueatur baculo ſtatim, ne fundo adhæreat. Die ſequenti effunde acetum, quod dulce eſſe debet, in aliud vas: nouum aliud acetum impone: & vt ſuperius feciſti, fac, perge donec totum minium ſolutum fuerit. Collectis omnibus ſolutionibus, filtro nouo filtrare oportet; deinde in fimo equino per quindecim dies putrefacies. Peracto tempore deſtilla acetum ad tertias, id eſt, vt ex tribus partibus vna remaneat. Hanc tertiam partem pone in locum frigidum, aut in

M cellam

cellam & fient cryſtalli. Tunc euaporabit acetum & cryſtallos accipe, quos ſerua. Acetum iterum ad tertias deſtillabis & expones in locum frigidum & iterum fient cryſtalli. Hoc repete tamdiu, donec habeas materiam illam redactam in cryſtallos. Hinc ſalem cryſtallinum diuide in tres partes, prius tamen aqua ſtillatitia communi ſolutum, filtratum & depuratum, dum omnis acrimonia, ſublata fuerit. Huius ſalis partem vnam accipe, quam in retortam vitream luto optime munitam ponito, cui recipiens ſatis capax aptabis & clauſis iuncturis deſtillatione prouocabis; primo exibit fumus albus, deinde rubrum oleum; ignem ſiccis lignis auge vſque ad perfectam deſtillationem, ſepara aquam ab oleo in balneo Mariæ, vtramq; autem partem ſerua, oleum tribus vicibus rectificabis, aquam ſeparatam pariter in balneo mundabis.

Oleum valet ad vulnera & vlcera quæuis etiam deplorata, intra dies paucos carne implenda; oleo therebinthinæ permiſtum, membris conuulſis reſolutiſque inunctum breui ea reſtituit; tumorem ex calida intemperie ex oleo chamęmelino & oleo oliuarum diſcutit; inflammationes quouis modo ortas & ambuſta reſtinguit, ſi pannus cœruleus eo imbutus ſuperdatur.

SACCHARVM SATVRNI.

Ex altera ſalis cryſtallini parte, ſuperius ſeruata conficitur hac ratione: ſi huic ſali affundas ſpiritum vini tartariſatum ad eminentiam duorum digitorum & circulentur omnia ſimul per aliquot dies, vt tota penitus acrimonia auferatur: Et hoc modo conficies ex ſaturno dulciſſimum ſacharum, quod temperatum & naturæ noſtræ amiciſſimum, infinitis affectibus inſeruiet. Id autem ſoluitur in oleum in humido, ad quæuis vlcera maligna breui curanda præſtantiſſimum medicamentum.

Ex tertia parte ſalis cryſtallini ſuperius reſeruata, conficitur balſamus ſaturni, hoc modo: Balſamus ſaturni. Recipe illam partem, contere & in vas vitreum habens longum collum inde, infunde deſuper ſpiritus therebintinæ quatuor partes. Tincturam extrahe, vt ex floribus ſulphuris fieri ſolet. Tunc ſal ſaturni in rubrum calorem rubini inſtar ſoluetur. In retortam pone & ad modum aquæ fortis deſtilla, primo lento igne, donec ſpiritum therebintinæ extraxeris: recipientem muta, ignem auge de hora in horam donec nihil amplius

deſtilla-

deſtillauerit, & habebis oleum, cuius vires naturalem balſamum ſuperant, vulneribus malignis, cancro, polypo, noli me tangere, tangendo bombace etiam medetur.

DE METALLIS FINITIMIS CORPORIBVS & 1. de Antimonio.

Metallis finitima ſunt Antimonium & Biſemutum.

Antimonium eſt corpus minerale, durum, terreſtre, fragile, conſtans ex duplici ſulphure, partim puriſſimo, ſale turbido & hydrargyro ſpecifica quadam virtute mutandi & poliendi prædito.

Eius virtus medicamentoſa conſiſtit in mundandis & corrigendis humoribus & confortatione viſcerum naturalium.

Ex eo præparantur præſtantiſſima medicamenta, tam ad internos, quam externos affectus, videlicet regulus, flores albi & rubri, tinctura, oleum chirurgicum, ſulphur & ſal. Vitrum hic ſciens omitto tanquam pernitioſum medicamentum, & quod vt ait Quercetanus de medic. ſpagir. præpar. ſua acrimonia irritando facultatem expultricem, per ſuperiora & inferiora magna cum perturbatione ducit: quod ego probare nullo modo poſſum. Non enim violentis quibusvis purgationibus omnes morbi curantur, ſed conuenientibus.

REGVLVS ANTIMONII.

Recipe antimonij, ſalis nitri, tartari, ana, terantur ſubtiliſſime, miſtaque indantur tigillo fuſorio, cui ardens carbo iniiciatur, ſinantur bene fundi, fuſa effundantur in crucibulum acuminatum, ita regulus fundum petit, qui frigefactus à ſcoriis decutitur. Hic regulus eſt ſummum auri examen, ac vera omnium florum & tincturarum medicinalium in ſtibio exiſtentium materia.

FLORES ALBI ANTIMONII.

Duplices conficiuntur. Quidam enim ſola ſublimatione ex regulo abſque vllo additamento emergunt, qui albiſſimi ſunt & præſtans in doloribus colicis medicamentum. Sed in ſublimatione cautio eſt adhibenda, ne ignis ſit iuſto fortior: ita enim funditur regulus, nec

ſublimatur; ſi quoque iuſto fuerit debilior, non aſcendunt, difficilis enim ſunt aſcenſionis.

Alij flores fiunt per calcinationem hoc modo. Recipe reguli antimonij, ſalis nitri ana, calcina in tigillo igne ſenſim admoto ſpatio trium vel quatuor horarum, exemptam maſſam vitro inde, cui affunde aquam ſtillatitiam communem, vt ſal eluatur, reguloque exiccato, denuo admiſcetur per pondus ſal nitrum calcinentur & eluantur, vt prius: iſque labor tertio repetitur dum figatur: Et ita remanent flores antimonij; qui ſi triduo reuerberentur, fiunt citrini. Hi flores ſudores potenter mouent, ſi illorum exhibueris à ſcrupulo vno ad drachmam ſemis cum aqua carduibenedicti: Ad febres intermittentes optimum eſt remedium, præmiſſis tamen conuenientibus purgationibus.

FLORES ANTIMONII RVBRI.

Recipe Antimonij partes quatuor, tartari partes tres, trita ſubtiliſſime & optime permixta indantur tigillo fuſorio probe obturato, relicto tamen paruo foramine, quo ſpiritus tartarei euaporare queant: fit ignis circularis primo pedali latitudine à tigillo diſtans, poſt horam augeatur, & propius tigillo admoueatur & ſpatio duarum horarum fortiſſimo igne reuerberentur, quibus elapſis tigillum candens in magnum lebetem aqua communi ſtillatitia plenum effundatur; coquatur ſpatio dimidiæ horæ, ſinito ſubſidere fæces; tandem aqua cum rubedine ſtibij, effunditur in aliud amplum vas mundum, ſi vitrum erit, eo puriores erunt flores: fæces in priore lebete relictæ abiiciantur: mox aquæ aceti ſtillatitij parum affunditur, vt ſalis acrimonia, à ſtibij rubedine ſeiungatur ipſaque in fundum reſideat; aqua cum ſale per filtrum abſtrahitur; cum pene tota exhauſta fuerit, reliquum euaporare ſinito igne leuiſſimo, ne aduratur rubedo, & ita liuedinem contrahat.

Huius grana tria vel quatuor exhibentur in aqua meliſſæ, chelidonij, aut generoſo vino, luem veneream, omniaque hinc orta vitia mirabiliter ſanat. Hiſce floribus rubris ſi admiſceatur æquale pondus ſalis gemmæ ſimulque in retortam indantur, deſtillentur primo lento igne deinde ſemper per gradus augendo ignem donec tandem fiat violentiſſimus, idque duorum dierum ſpatio; prodit oleum rubicundiſſimum, quod à phlegmate ſeparatum ſummum & incomparabile medica-

medicamentum in omnibus deploratis & vulneribus & vlceribus, præſertim cancro.

TINCTVRA ANTIMONII.

Flores albi per ſublimationem ex regulo induntur vitro oblongo, quod hermetice clauditur, clauſo vitro tamdiu reuerberatur, dando ignem per gradus, donec fiant rubini inſtar rubicundiſſimi, quibus affunditur acetum deſtillatum, vt ſupernatet octo digitis; ſimul ſinuntur ſtare, dum acetum rubrum colorem contraxerit, quod demum effunditur: affuſo nouo aceto peragitur vt prius; iſque labor tantiſper repetitur, dum omnis tinctura euacuata fuerit: tunc totum coloratum acetum in cineribus vel arena à tinctura abſtrahitur: ea edulcoratur aqua communi ſtillatitia, dulcorata tinctura eluitur optimo ſpiritu vini, digeritur per dies XL. vaſe optime clauſo: tandem lenta deſtillatione ſpiritus vini abſtrahitur à tinctura ad olei formam: & perfectum eſt hoc præſtantiſſimum, & nunquam ſatis laudatum medicamentum ad reſtaurationem & renouationem corporis humani. Tinctura enim illa expurgat atrum ſanguinem & vitioſos quoſque humores, idque ſine euacuatione manifeſta, ſed ſola prauorum humorum correctione. Hepatis obſtructionibus opitulatur, hydropem diſcutit, icteritiam curat, lætitiam generat, leproſis ſanitatem reſtituit. Maximum enim pro lepra arcanum eſt, quo nihil fere in hoc morbo præſtantius inueniri poteſt: lienem rectificat, matricis dolorem ſedat, menſes mouet, eiuſque vigorem conſeruat, Morphæam curat, ſcorbuto medetur, bilem vtramque expellit è toto corpore, calculos frangit, caput & cerebrum expurgat, cum extracto hellebori nigri conuulſioni medetur, & vt breuibus dicam, in deploratiſſimis fere morbis ſummum eſt remedium.

SVLPHVR ANTIMONII.

Triplex eſt, primo, rubrum inflammabile, quod ex crudo antimonio per ſublimationem extrahitur: verum cum in medicina parui ſit momenti, nec veneno carens, aliquid de eo dicere ſuper ſedebo.

Secundo; ſulphur antimonij vocatur embryonatum: verum cum hoc potius ad tranſmutationem, quam ad medicationem ſeruiat, non eſt huius loci multa de eo ſcribere.

Tertio: ſulphur ex regulo conficitur hac ratione: flores ex regulo tamdiu in altum aguntur, dum nulli magis aſcendunt, tum igne fortiore ex regulo ſulphur in altum agitur, quod duobus vel tribus tantum digitis à regulo aſcendit, & lateribus ſublimatorij inhæret, colore parum à floribus ſulphuris diſtans, ſapore vero plane conuenit. Si ex hoc ſulphure cum ſpiritu therebintinæ extrahitur Tinctura, & ſpiritus therebintinæ demum more tincturarum ab eo abſtrahatur, & tincturæ relictæ affundatur ſpiritus vini optimus, aciterum extrahatur, euaporato ſpiritu manet præſtantiſſimus ad pulmones balſamus; eſtque efficax ad luem veneream curandam medicamentum: Doſis eius eſt à guttis ſex ad ſcrupulum ſemis.

Abſtractis à regulo floribus & ſulphure relicta in fundo maſſa ſi tamdiu calcinetur, dum probe fixa reddatur, ex ea per acetum deſtillatum extrahatur ſal, quod euaporato mẽſtruo dulcoratum aqua communi ſtillatitia, præſtans eſt in reſerandis hepatis aut lienis obſtructionibus, colicisq; doloribus medicamentum; hæmatoſin quoque epatis mirabiliter auget.

De Mercurio antimonij in poſteriore huius operis parte de tranſmutatione metallorum verba faciemus, eiuſque præparationem indicabimus.

His ita maioribus mineralib. explicatis, conueniens eſt, vt ad præparationem eorum medicamentorum, quæ ex mediis mineralibus conficiuntur, tranſgrediamur.

Media autem mineralia chymici vocant, quæ quodammodo metallica primordia attingunt, atque ita efficacem ad metalla tranſmuranda naturam habent: & ſunt hæc, argentum viuum, ſulphur, auripigmentum, arſenicum & ſalammoniacum.

DE ARGENTO VIVO.

Argentum viuum eſt liquor mineralis, qui ex metallica viſcida ſulphureaque terra exacte contemperatus, ſpirituoſus, frigidus, humidus, coloris argentei, ponderoſus, familiariſſimus metallis, quibus adhæret intime, eaque reſoluit, & ſe ad eorum naturam accommodat. Argentum autem viuum, non aut male præparatum, per ſolam ſublimationem ſummum eſt & lethale maxime venenum, quod intra corpus abſumptum illud ſumma partium tenuitate, qua prodi-

tum

Digitized by Google

tum eſt, promptiſſime per ſingulas eius partes in perniciem & perditionem penetrat, tendones, membranas, neruos, aliaſque partes ſolidas diſſoluit, atque propriam ipſorum ſubſtantiam colliquat, & in eam materiam conuertit, quam ex ore in mucoſa ſputi profuſione ſtillare manifeſte cernimus: carnoſas vero & molles in ſudores digerit, totiuſque corporis conſtitutionem adeo peruertit, vt diu poſtea non niſi craſſum, lentumque mucum, vel ex puris alimentis proferat; ſed & ne oſſibus quidem parcit, ſiquidem dentes eo vacillant, & liuentes marceſcunt, alia vero craſſiora, cariem parte quadam contrahunt. Et, vt in ſumma dicam, ſi in maiori doſi breui vel ſæpius ſumatur, narcorica vi ſua calorem naturalem ſuffocando, hominem miſerrima tandem morte interimit. Eſt enim ſpiritus volatilis, auram quandam retinens arſenicalem, corporique maxime nociuam.

Quemadmodum autem argenti viui crudi, vel non præparati bene perniriosus vapor omnem corporis ſubſtantiam peruagando, depopulandoq; nobis infeſtus noxiuſque exiſtit; ita ex eo purificato, bene præparato & tandem fixo reddito, ſalubria maxime, ſummoque corporis humani expurgandi medicamenta conficiuntur. Salutari enim quadam vi ſpiritus vna cum arteriis peragrat, ſanguinem cum venis & humores toto corpore fuſos, itemq; medullam cum oſſium intimis peruadit cauernis, & quicquid vitij neruos occupauit, aut inter carnem & cutem irrepſit, corrigit vniuerſum.

Vere autem eius præparationes conſiſtunt in debita eius fixatione, quemadmodum venenum in aura quadam volatili.

Ex eo hæc præcipue medicamenta conficiuntur, laudanum Mercuriale, idque duplex, oleum & præcipitatus Diaphoreticus dulcis.

LAVDANVM MERCVRIALE SIMPLEX.

Recipe argenti viui libram vnam, aceto in quo ſal diſſolutum fuerit, lauetur, & poſtmodum cum libra ſemis puriſſimi ſalis commiſceatur in pila lapidea ligneo piſtillo tamdiu, donec ſal nigreſcat & argentum viuum abſorbuerit; quo pacto ſal & argentum viuum per retortam pellatur in recipiens vas aqua frigida ſemiplenum: tum demum hoc argentum viuum in lixiuio ſequenti bulliat, quo diutius eo melius: aqua feruens fundatur ſupra calcem viuam, probe agitetur, vbi refrigerata conquieuerit per filtrum coletur:

letur: deinde aqua illa rurſus ferueſacta fundatur ſupra cineres clauellatos, ſiue herbæ Iſatidis, ac diligenter moueatur, poſtquam conſederit, iterum per triplicem pannum, id eſt filtrum coletur. Poſtquam Mercurius ſatis in hoc lixiuio bullierit, ſumatur, & aceto cum ſale in eo diſſoluto abluatur, & per ſal vt antea retorto vaſe repurgetur, vſque dum cryſtalli inſtar pelluceat. Deinde cum colchotare vitrioli & ſale communi toſtò pari pondere miſceatur, & piſtillo ligneo in mortario lapideo ſubactus, tandem vt ars docet, ſublimatur, iſque labor ter quaterque repetitur. Sublimatum hoc argentum viuum teritur, tritum inditur vitro, affunditurque ſpiritus vini optimus ad eminentiam trium vel quatuor digitorum: digeritur cum eo ſpatio decem vel duodecim dierum in balneo Mariæ, calore lentiſſimo: tandem ſpiritus vini deſtillatione abſtrahitur, vt prius, ad priorem conſiſtentiam deinde affunditur aqua roſacea, cum qua ſpatio trium vel quatuor dierum digeritur, ac etiam tandem deſtillatione abſtrahitur, vt prius ad priorem conſiſtentiam; deinde exiccatur teriturque ſuper marmore, & in vitro loco humido liqueſcere ſinitur; ſolutum denuo inditum vitro in cineribus moderato calore coagulatur: atque ſic laudanum Mercuriale, quod Theophraſtus metallorum theriacam præſtantiſſimam nominat, abſolutum eſt.

Alterum laudanum eodem fere modo conficitur, niſi quod ſublimato vt prius argento viuo addatur æqualis pars florum alborum antimonij per ſublimationem factorum, iterumque ſublimentur: ex quibus tandem ſuperiore via quoque laudanum Mercuriale conficitur.

Doſis horum laudanorum eſt granum vnum ad tria, in aqua theriacali (cuius aquæ deſcriptio poſtea à nobis in capite de vino ponitur) mithridatio vel theriaca aut generoſo vino. Virtus eius eſt, viſcidos & craſſos humores leuiter expurgare, quibus expurgatis ſudorem mouet, & tandem naturalem ſomnum inducit. Hiſce laudanis Paracelſus tantam efficaciam adſcribit, vt humores arthritidis auctiores, lueſq; venerea ipſorum ſola facultate perfecte & abſolute expurgari, morborum cauſæ auferri, & quæuis vlcera curari queant, ipſumque corpus priſtinæ ſanitati reſtitui, & quam diutiſſime conſeruari poſſit.

OLEVM ARGENTI VIVI.

Argenti viui repurgati, vt prius, partem vnam inde vitro, cui affunde

ſunde aquæ fortis partes duas, vt diſſoluatur argentum viuum, quo diſſoluto abſtrahatur aqua fortis per deſtillationem in cineribus vel arena per alembicum præcipitato in fundo vitri relicto, affunde iterum aquam fortem, diſſolue & abſtrahe vt prius, idque ter repete, poſtmodum huic præcipitato affunde aceti optime deſtillati, toties donec acetum argentum viuum totum diſſoluerit: tum acetum deſtillatum omne in balneo Mariæ deſtilla, & in fundo manebit materia inſtar ſalis, cui affunde aquam pluuialem deſtillatam, & clauſo vitro coquatur per dimidium diem: poſtea ſine ſubſidere, quod clarum erit effunde, & illud per balneum Mariæ deſtilla, & habebis maſſam claram, quam toties ſolues, coques & aquam deſtillatione abſtrahes, donec tota aquæ fortis & aceti acrimonia euaſerit: maſſæ huic affunde ſpiritum vini ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, ponatur ad digerendum ſpatio vndecim vel duodecim dierum, pelle per retortam in cineribus, appoſito magno recipiente: exibit primo ſpiritus vini, deinde ſpiritus Mercurij, & in fundo manebit fæx nigerrima: non aperias iuncturas recipientis niſi poſt viginti quatuor horas. Spiritus Mercurij cryſtallini adhærent lateribus vaſis, & non ſoluuntur, niſi per duodecim horas: operto deinde receptaculo liquores in balneo Mariæ tenuiſſime extrahe, & egredietur ſpiritus vini, & eſſentia Mercurij remanebit in fundo vaſis in forma olei cineritij coloris.

Maximus eius vſus eſt in profliganda lue venerea, & hydropicis perutilis, veſicæ, faucium, aliarumque partium abditarum exulcerationem perſanat, & renum morbos per ſudores vrinamq; diſcutit. Doſis eius eſt à guttis quinque ad decem.

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS DIAPHOreticus dulcis.

Argenti viui repurgati vt ſuperius explicatum eſt, Recipe partem vnam, aquæ fortis à phlegmate & fæcibus repurgatæ & rectificatæ partes duas, indantur cucurbitæ erectæ, diſſoluatur argentum viuum, cumque diſſolutum fuerit, aqua fortis deſtillatione per arenam ab argento viuo igne violento abſtrahatur, vt maſſa in fundo relicta exareſcat, & partes argenti viui volatiliores vna cum aqua forti aſcendant. Maſſa in fundo cucurbitæ relicta eximitur, teritur, iterumque vitro inditur, affunditurque aqua fortis vt prius, vt ſoluatur, cumque

ſoluta fuerit aqua, denuo deſtillatione abſtrahitur:iſque labor quinquies vel ſexies repetitur, dum omnis volatilitas ab argento viuo præcipitata abſtracta fuerit: præcipitatus iterum eximitur,teritur,inditurque patellæ ferreæ latæ, ſubiectiſque carbonibus ſinuntur ſpiritus aquæ fortis euaporari,agitando ſemper ferreo piſtillo,donec rubrum colorem inſtar minij contraxerit, ex quo actimoniam omnem ac totum venenum ſic elicies.

Recipe phlegmatis vitrioli & aluminis ana libras duas ſemis, aceti deſtillati libras duas, ſalis gemmæ albiſſimi drachmas duas, ouorum albuminum viginti, deſtillentur bis ſuper fęces per alembicum. Huius aquæ miſce libras tres, cum libra vna pulueris tui Mercurij vt ſupra præparati, & in alembico deſtilletur aqua à fæcibus quater: vltima vice pelle ad ſiccitatem: tum demum ſpiritu vini optimo, ſupra puluerem æquali pondere affuſo, biduo digeſto, tandem per deſtillationem ab eo abſtracto,eoque labore quinquies repetito, nouum ſemper affundendo ſpiritum vini fixabis & dulcabis tuum Mercurium, quem præcipitatum Diaphoreticum dulcem nominant.

Doſis eius eſt à granis tribus ad ſex ex conuenienti liquore, nempe aqua theriacali, theriacæ, mithridatio, aut vino dulci exhibitum pro ægri &morbi ratione. Peſti medetur, morbum gallicum curat, Elephantiaſin, aquam intercutem, alioſque morbos difficiles abigit, viſcerum obſtructiones reſerat, iis qui venenum hauſerunt, opitulatur, vlceribus malignis curandis tum intro ſumitur, tum extrinſecus vnguentis & emplaſtris quæ purgant, ad ſordida cauernoſaque (videlicet vlcera) curanda admiſceatur.

Ad oris autem ſordes eluendas ex vini ſtillatitij vnciis tribus, ſachari candi vncia vna, mellis cochlearibus duobus gargariſma paratur.

DE SVLPHVRE.

Sulphur eſt ſuccus mineralis pinguis, fætorem acrem & pungentem emittens, habens partem ſubtilem inflammabilem partem craſſam, terream, fixam, intermiſtam chalcantoſo ſucco.

Virtus eius medicamentoſa eſt concernens pulmones, thoraciſque affectus tum conſolidatiua.

Ex eo

Ex eo hæc præcipue medicamenta conficiuntur: Flores, Balſamus, tinctura & oleum, idque duplex.

FLORES SVLPHVRIS.

Recipe ſulphuris partem vnam, vitrioli ad flauedinem calcinati, & ſalis communis fuſi ana partem ſemis terantur ſimul; miſceantur, indantur ſublimatorio vitreo, apponatur alembicus ſatis capax appoſito recipiente, omnibus iuncturis bene clauſis, detur ignis per gradus in arena, primo lentus, deinde fortior, tertio fortiſſimus. Ita flores ſulphuris aſcendunt in alembicum, ſublimatio perficitur duodecim vel quindecim horis.

Hi flores exempti teruntur & miſcentur cum nouis ſpeciebus nempe calcinato vitriolo & ſale fuſo, peragitur ſublimatio, vt prius, tertioque ſublimatio repetitur.

ALIO MODO.

Rec. florum horum tertiæ ſublimationis partem, aloes, thuris & myrrhæ ana partes duas, vitrioli ad flauedinem calcinati partem vnam, croci partem ſemis, trita & miſta idoneo ſublimatorio indantur, quibus affundatur liquor, qui in prima & ſecunda ſublimatione emanauit in recipiens vas: euocetur primo liquor, tandem etiam flores auctiore igne continueturque ſublimatio, dum flores omnes adſcenderint. Liquor vitro bene clauſo ſeorſim ſeruetur; eſt enim balſamus pulmonum, quem hoc modo adminiſtrabis.

Recipe betonicæ, liquiritiæ, pulmonariæ, imperatoriæ, polypodij, ana, fiat decoctio. Huius potionis, mane calefactæ patienti propina vncias duas vel tres, cui viginti guttas ſupra dicti liquoris infundes, mirabilem videbis effectum in thoracis & pulmonum affectibus. Liquor iſte ſudores prouocat, peſtem pellit, omnemque hepatis inflammationem, eiuſque obſtructiones aperit. Florum vero vſus eſt in putredine ex vlceribus, pulmonibus, atque adeo in phthiſi. Doſis eius à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.

BALSAMVS SVLPHVRIS.

Florum ſulphuris ter ſublimatorum vt prius, partes duas accipe, camphoræ partem ſemis, olei therebintinæ partes octo: flores & camphorā trita & cribrata per ſetaceum, pone in cucurbitā ſtrictioris

orificij, ſuperfunde tuum oleum: omnibus bene obturatis, colloca vas in arenam, & da ignem lentum per duas horas, vt arena caleſcat, poſtea augeatur ignis, vt bullire incipiat in vitro, ſic ſulphur reſoluitur in oleum.

Hic eſt Balſamus admirandus in vulneribus & vlceribus medendis, tumores emollit & diſcutit. Adhibetur autem vel per ſe vel vnguenti forma, vel in emplaſtrum cum aliis redactum. Conuenit autem hic Balſamus magis exterioribus quam intrinſecis.

TINCTVRA SVLPHVRIS.

Recipe florum ſulphuris ter ſublimatorum, quibus affunde ſpiritus therebintinæ ad eminentiam trium digitorum, pone ad digeſtionem in calore mediocri arena vel cineribus.

Ita tingetur ſpiritus therebinthinæ in rubrum colorem.

Hunc ſpiritum tinctum effunde, & vitro clauſo reſerua, floribus relictis affundatur nouus ſpiritus therebintinæ, extrahatur tinctura, iſque labor tantiſper reiteretur, dum tota tinctura ex floribus euacuata fuerit, & nihil præter fæces in fundo remaneat: Spiritus omnes tincti miſceantur in balneo à tinctura abſtrahantur ad craſſiuſculam conſiſtentiam. Tincturæ relictæ affundatur ſpiritus vini optimus ad eminentiam trium digitorum. Item extrahatur tinctura, tinctus ſpiritus effundatur, vt prius, affuſo nouo, dum iterum tota tinctura euacuata fuerit: tunc demum, iterum per balneum ſpiritus vini euacuetur; ita remanet in fundo tinctura ſulphuris, medicina nobilis abſque fœtore; quæ ſi per alembicum vel retortam in arena agatur, prodit præſtantiſſimum ſulphuris oleum.

Hæc tinctura & oleum ſulphuris maxime conuenit thoracis, & ad omnes hepatis ac putridis morbis & affectibus: Huius guttulæ tres aut quatuor exhibentur cum aqua hyſſopi, ſuſpirioſis & purulenta expuentibus. Habet hoc oleum peculiarem vim & facultatem attrahendi fiſſuras ani, fiſtulas, apoſtemata, pruritum, procidentiam, mariſcas aliaque vitia leui contactu vel illita ſanat. Item ventriculum, hepar, lienem, matricem, veſicam, inteſtina, & articulos ex humorum abundantia laborantes, vel putrefactione affecta membra curat. In dolore ventriculi aut coli ex flatu datur cum aqua chamomillæ: Item in anorexia vel orexi, quæ à redundantia phlegmatis exiſtit, cum aqua abſinthij: In hepatis frigiditate & hydrope cum aqua

qua agrimoniæ. In dolore matricis cum vino decoctionis betonicæ & matricariæ. In vrinæ ſuppreſſione cum vino allij decocti. In morbo gallico exhibetur cum aqua fumiterræ, contra vermes cum aqua graminis vel abſinthij; In ſplenis vitiis cum aqua tamariſci aut capillorum veneris.

Curat peſtem ac febrem peſtilentem cum aqua pimpinellæ vel ſale eius: item cum vino raphani decocti, cui admiſtum ſit parum theriacæ aut mithridatij. In ſumma hæc tinctura & hoc oleum ſulphuris adeo efficax eſt, vt neque viuum corpus, neque mortuum ad putredinem tranſire ſinat; ſed adeo integra tuetur, vt nulla vnquam cœleſtis impreſſio, vel ab elementis profecta corruptio ei adeſſe poſſit.

OLEVM SVLPHVRIS ACIDVM.

Campana vitrea lutata, vel alembicus vaſtus roſtratus à filo ferreo ſuſpenditur: ſubtus accommodetur paropſis lata, ſiquidem campana vſurpatur: Sin alembico receptaculum admoueatur roſtro; imponitur concha in ſtrata ferrea lamella: in hunc ſulphur collocatum incenditur per ferrum ignitum; operaque detur, vt furnus aſcendat rectà; ſi abſumpta eſt pars, ſufficitur noua, & ſpiritus coagulatus defluit. Campana tamen à pauimento debet diſtare, vt non ſuffocetur flamma: Si ſulphur purum eſt, ſpiritus decurrit albus, ſin impurum à flamma vitiatur, & nigreſcit: corrigitur tamen deſtillando.

Empyreuma in eo tollitur digeſtione cum ſpiritu vini deſtillatione ab oleo abſtracto.

Vſus huius ſpiritus eſt ad obſtructiones pulmonum, ad gangrænam, fiſtulas, aphthas, hydropem, dentes infectos, febres, calculum, apoſtemata, cauernoſaque vlcera, corrodit argentum, proinde non potari debet, niſi cum cautione in conuenientibus Iulepis.

DE AVRIPIGMENTO ET ARſenico.

Arſenicum & Auripigmentum ſunt mineralia inter ſe valdè vicina, colore tamen differentia, cum Arſenicum proprie ſumptum ſit album, & pellucidum cryſtalli inſtar, vnde eſt cryſtallinum nuncupatum: Auripigmentum vero eſt coloris flaui & fere aurei. Differunt quoque; quod Arſenicum cryſtallinum ſit flos argenteus, vnde nulla

vena reperitur abundans arſenico cryſtallino in qua ſimul (ſaltem in eius profunditate) non reperiatur argentum. Inde quoque à peritis metallicis ſolet appellari, tectum argentum. Auripigmentum vero plerunque continet aurum, vel ſaltem in eius vena reperitur. Nihilominus tamen Arſenicum generalius alioquin accipitur, vt ſub ſe contineat Arſenicum rubrum & flauum.

Eſt autem Arſenicum ſuccus mineralis, pinguis, inflammabilis vicinus ſulphuri, violentior tamen ob ſalem coniunctum, conſtans pinguedine ſulphurea, hydrargyro pauco & ſpiritu ſalis albi, quorum pars volatica eſt, pars fixioni propior.

Numeratur autem à cæteris inter ſeptica medicamenta, quæ ſumma caloris acrimonia inſitum nobis calorem aut diſſipant, aut in ignem conuertunt, ſimulque qualitate maligna primigenium humidum diſſipant, & omnem partis ſubſtantiam tabefaciunt, putredinemque inducunt cum fœtore. Quocirca horum non præpararorum vſus in medicina nullus eſt; in chirurgia valde periculoſus, cum lethifera & naturæ noſtræ inimiciſſima ſint.

Quemadmodum autem hæc non præparata venena eſſe valde nocentia notum eſt; ita bene præparata ad multos affectus externos curandos probatiſſima redduntur. Hæc enim ſpecialia lethifera exiſtunt, qualitate maligna & acrimonia: praua autem illa qualitas in ſpiritu ſiue in aura illa fœtida, ex atro fumo, quem minimo calore emittunt, conſiſtit, acrimonia in ſolo ſale. Hic fumus ater & venenatus naturali etiam calore, cum excitatur, materiam partis labefactat, ipſam corrumpit, & ſæpius ac ſi quis venenum hauſiſſet, interimit, ſi enim procul à propioribus partibus illa apponantur, præſertim vulnerata cute.

Cum igitur in fumo illo atro qualitas illa maligna exiſtat, prorſus fixanda eſt. Fixatione enim omne venenum in ſpiritibus adimitur. Acrimonia vero pellitur ſalis extractione. Qua ratione præparatum Arſenicum non nocebit, quin imo pro Topicis multum proficiet ad vulnera venenata, ad lupos, fiſtulas, cancros & gangrænam.

Præparantur autem ex eo Butyrum, & ex butyro oleum hac ratione.

Recipe Arſenici, ſalis toſti, colchotaris, ſcobis chalybis ana partem vnam, indantur bene mixta vitro ſublimatorio: ſublimatio inſti-

tio inſtituatur dando ignem per gradus, dum nihil amplius ſublimetur: Sublimatum arſenicum miſce cum nouis ſpiritibus, & vt prius ſublima, idque ter repete. Hac enim ratione valde nitidum & purum redditur.

Huius arſenici recipe partem vnam, ſalis nitri partes duas, miſceantur, diuidatur in portiones, proiice ordine per cochleare in lebetem fictilem diſpoſitum ſuper fornace ventoſa ſub dio, ita vt tibi ventus flet ſecundus, poſſiſque vitare fumum: verſa cum longa ſpata, donec venenata volatilitate diſſipata ceſſet ebullitio: ſubmitte partem, age vt prius, quouſque tota quantitas ſit iniecta: conſumpto ſale nitro, auge ignem horis quatuor, & inſtar butyri tandem in lebete reſideat, cum refrixerit, fiet maſſa niue candidior, & perlarum referens colorem, quam in aqua calida ſolues, vt ſalem inde extrahas.

Remanebit autem in fundo puluis albiſſimus, quem exiccatum fixabis hac ratione. *Quert. in ſclop p. 206*

Imbibe pari oleo Talci, reuerbera maſſam per diem integrum, rurſum in calida aqua diſſolue, vt remaneat puluis albiſſimus fixus & dulcis; qui poſitus in loco humido fluet in oleum pingue (butyri inſtar) anodynum.

Nam quemadmodum Arſenicum, ſi non præparetur, dolorificum eſt ſua acrimonia, & qualitate maligna venenum; ſic contra fixatione hanc amittit, & doloris eſt prorſus expers, ac venenatis vlceribus conducens medicamentum, ſi huius admiſceatur vncia vna cum vnciis duabus olei Myrrhæ.

Simili ratione oleum ex auripigmento ad eundem vſum conficitur.

DE SALE AMMONIACO.

Sal ammoniacus eſt ſal qui in arenis Lybicis concreſcit.

Adhibetur autem partim ad ſoluenda metalla, depurandaque: ad medicinam vero raro, prælertim intus ſumitur.

Sublimatione valde depuratur, quæ hac ratione perficitur.

Recipe ſalis ammoniaci, ſalis toſti ana, indantur vitro ſublimatorio: Sublimetur dando ignem per gradus more chymico, donec totus flos ſalis ammoniaci aſcenderit: hic flos denuo bis per

ſe in

Digitized by Google

ſe in mundo ſublimatorio vitreo ſublimetur: ex eo per deliquium fit aqua, quę ſalis ammoniaci aqua nominatur.

DE MINIMIS MINERALIBVS.

Minima mineralia ſunt, quæ procul à mercuriali principio diſtant, & ad maiora duntaxat repurganda elaborandaq; adiumentum præbent: ſunt autem hæc præcipue, calchantum, ſal commune, ſal gemmæ, Nitrum, Alumen, Tutia, Cadmia.

Ad mineralia quoque reducuntur lapides pretioſi, bolus armena, terra ſigillata, cæteraque omnia, quæ in terra per miſtionem abſque vegetationis principio naturæ ſuæ originem trahunt.

DE CALCHANTO.

Calchantum eſt ſuccus mineralis, naturæ æroſæ, conſtans ex terra æroſa, alumine & ſulphure.

Ex eo varia tum ad internos, quam externos affectus præparantur medicamenta; nempe phlegma, ſpiritus, oleum, colchotar, creta vitrioli & Alkali.

Phlegma & ſpiritus ad Epilepſiam populſandam conferunt: oleum ſtomachum corroborat: Colchotar, creta & alkali chirurgicis affectibus.

SPIRITVS VITRIOLI CVM PHLEgmate.

Vitriolum optimum in aqua communi ſtillatitia diſſolue, ſolutum per filtrum coletur, colatum ad tertias igne leui euaporari ſinatur, dum pelliculam contraxerit, inde vaſi indatur oblongus baculus, vt ei ſal vitrioli in loco frigido adhæreſcat: Salem hunc exiccatum, ſi non ſatis fuerit (ſcilicet depuratus) iterum ſoluas, coles, depureſque, procedendo ſuperiore modo: quem ſatis depuratum indes cucurbitæ vitreæ ſatis ampli orificij luto obductæ, cui ſuperaffundatur ſpiritus vini optimus, vt fiat paſta, appoſitoque alembico, indatur cucurbita furno ignis aperti, apponatur recipiens ſatis amplum, clauſis iterum rite omnibus iuncturis inſtituatur deſtillatio, primo lentiſſimo igne, vt ſpiritus vini euocetur, mox aucto igne, vt phlegma quoque aſcendat, tandem incipientibus prouenire ſpiritibus ignis augeatur ſenſim, dum fiat fortiſſimus, & vitrum liqueſcere prę nimio calore in-

Digitized by Google

lore incipiat: quo pacto ſinatur ignis extingui, vaſaque refrigetari: vaſis eximatur liquor, & in balneo Mariæ ſeparetur ſpiritus vini à phlegmate & ſpiritus vitrioli, deinde abſtrahatur phlegma à ſpiritu vitrioli, dum incipiant guttæ aceſcere, tum appoſito nouo recipiente pellatur quoque ſpiritus per arenam.

Paracelſus deſtillatum ſpiritum vna cum phlegmate & vini ſpiritu, iterum affundit capiti mortuo, vt prius, idque nouies repetit, factis ſemper cohobiis, quod vocat ſpiritum vitrioli deſtillare in nouum alembicum. Ita igne fortiſſimo facit aſcendere etiam ſiccos ſpiritus, quos cum humidis coniungit, & digerendo vnit. Verum ratio hæc Paracelſi conficiendi ſpiritum vitrioli, non probatur hiſce de cauſis.

Primo, quòd in iſtis reiteratis deſtillationibus & cohobiis, ſubtiliſſimæ partes iſtius ſpiritus euaneſcunt, tam deſtillando, quam etiam affundendo propter ſummum calorem, qui ex liquoris & capitis mortui contactu mutuo in affuſione excitatur.

Secundo, timendum eſt, ne in affuſione, quemadmodum & in difficilimis iſtis reiteratis deſtillationibus vaſa vitrea frangantur, vt ita opera & oleum perdatur. Quod ſi tamen hic modus cuipiam placeret, pedetentim liquorem capiti mortuō trito affundat, & in deſtillationibus cucurbitæ ſint luto forti & tenaci probe obductæ, & iuncturæ bene clauſæ. Suffecerint tamen quatuor ad ſummum cohobia facta, quibus viſcoſitas propter quam reiteratæ deſtillationes inſtituuntur, ſatis attenuabitur, quemadmodum corroſiuitas tollitur affuſione ſpiritus vini. Eſt hic ſpiritus vitrioli ad Epilepſiam profligandam, vt dictum eſt, vtiliſſimum medicamentum, præſertim additione facta, vt ſcilicet ſpiritus vitrioli accipiatur pars vna, ſpiritus tartari partes tres, aquæ theriacalis, camphoratæ partes quatuor, miſceantur & vitro bene clauſo per tres aut quatuor ſeptimanas probe digerantur. Huius doſis vitriolatæ eſt drachma vna in conuenienti liquore & vehiculo, pro perſonarum & affectuum varietate adminiſtrata.

In Epilepſia hac miſtura nullum medicamentum præſtantius exoptari poteſt, pleuritidis, vt ſæpe fæliciſſimo ſucceſſu expertus ſum, præſens eſt remedium. Omnes obſtructiones viſcerum mirifice reſerat, inflammationes ſedat. Omne venenum à corde ad exteriores partes per ſudores expellit; febrium æſtum compeſcit, earumque ma-

teriam conſumit. Melancholicis prodeſt cum aqua bugloſſæ aut borraginis materiam frigidam calefacit, aſcenſumque eius à materia frigida curat, menſtrua promouet ſuperfluaque ſiſtit. In ſumma, in infinitis grauiſſimis morbis eſt Diaphoreticum præſtantiſſimum: partium enim tenuitate citiſſime abſque vlla moleſtia vniuerſum corpus penetrat. Spiritus vero vitrioli per ſe ſumpti doſis eſt ſcrupulus ſemis ad ſcrupulum vnum in conuenienti liquore, quemadmodum phlegmatis doſis à ſcrupulo vno ad ſcrupulos duos.

COLCHOTAR.

Eſt vitriolum ad rubedinem calcinatum, ſiue in deſtillatione ſpiritus ſui, ſiue alioquin in vaſe apertro.

Ex hoc Colchotare fit oleum, creta & Alkali.

OLEVM VITRIOLI HAC RATIONE conficitur.

Recipe Colchotar, fac ebullire in vitro albo ad ſiccitatem vſque, poſtea tere & repone in retortam, & lento igne deſtilla: primo exibit aqua clara, tandem vrgendo ignem donec fiat fortiſſimus, deſtillabitur oleum rubrum, vt ſanguis, à quo phlegma primo ſeparandum: accipe tantundem de optimo ſpiritu vini, ſimul miſce ſine digere, & in pellecano circulari ſinito, ſpatio duarum vel trium ſeptimanarum.

Tandem ſpiritus vini ab eo ſeparetur deſtillatione. Oleum quoque per arenam ad maiorem purificationem euocatur.

Doſis eius eſt à guttis quatuor ad octo: mirifice ſtomachum roborat, ſi in aqua abſinthij, menthæ, aut ſimili ſyrupo exhibeatur.

Cum ſyrupo cydoniorum vomitum reſtringit: Vermes puerorum cum Iulepo roſaceo necat: Eſt enim acetoſitate ſua ſpecifica materia, de qua moriuntur vermes; præter acetoſitatem autem habet etiam in ſe facultatem laxandi.

CRETA VITRIOLI.

Quer. in ſclop. 105. Colchotar ſoluatur in aqua calida & rubor per ipſam diffuſus ſeparetur, poſt exhaletur: quod remanet extracta omni rubedine, creta vi-

ta vi-

ta vitrioli dicitur. Cuius vſus eſt in chirurgicis ad inducendam cicatricem in vulneribus.

Ex hac creta reiteratis ſolutionibus & filtrationibus extrahitur Alkali ad eoſdem vſus accommodatiſſimum, quod etiam contra vermes ſequenti modo, intro ſumi poteſt.

Recipe Alkali de colchotare ſcrupulum vnum, agarici, liquoris centaurei, calaminthæ ana grana decem, olei de myrrha quantum ſufficit, vt fiat veluti paſta. Fiunt trochiſci, dentur infanti grana quinque, viro decem.

DE SALE COMMVNI.

Quid ſal commune ſit, non opus eſt explicare, cum hoc omnibus notiſſimum ſit, ob tantam neceſſitatem, vt eo carere non poſſimus.

Virtus eius eſt calefacere, ſiccare, extenuare, diſſoluere, diſcutere, abſtergere, aſtringere, ſuperfluos quoſque humores conſumere.

Præparatur autem ex eo oleum, quod ad plura eſt vtiliſſimum medicamentum. Hoc autem pluribus modis deſtillatur: inter quos maxime placet ſequens.

OLEVM SALIS.

Sal prius ſoluatur in aqua ſtillatitia, ſolutum filtretur, deinde in euaporatione aquam coagula: huius coagulati ſalis recipe partem vnam, terræ luteæ ſiccæ partes duas, miſceantur, indantur retortæ triplici luto munitæ: deſtilla in aperto igne, dum nulli ſpiritus amplius exeant: hinc refrigeratis vaſis liquorem exime, affunde ſuper nouum ſalem, deſtilla vt prius, idque reitera ſepties vel octies igne ſatis violento: tandem in balneo ſeparetur phlegma ab oleo, quod ſerua vitro bene clauſo. In hoc oleo ſoluitur Aurum. Eius vſus eſt in hydrope ad ſedandam ſitim, ſi guttæ eius tres vel quatuor exhibeantur in aqua acetoſæ, Endiuiæ vel ſimili liquore conuenienti hepati.

Quod ad ſaporem attinet, non ita acidum eſt oleum ac ſal, ſed aut dulcedinem mellis, aut ſucci pomorum ſylueſtrium plurimum refert. Oleum ſalis cum oleo therebintinæ, ceræ chamomillæ, verbaſci, & ſimilib. commiſtum dolores podagricos ſedat, tophos diſcutit,

membra conuulſa, ſi eo fricentur, reſtituit, abſceſſibus medetur, ramices curat.

DE SALE GEMMÆ.

Sal gemmæ eſt ſal albiſſimum, generaliter in fodinis creſcit, nec alia ab artifice inducta præparatione, vt ſal cõmune, quod vel ex mari, vel ex aqua minerali ſalſa per coctioné fit indiget. Ex eo extrahitur liquor eodem modo, quo ex ſale communi, qui & oleum & ſpiritus ſalis gemmei à chymicis vocatur. Ad eadem fere vſurpatur, ad quæ ſalis communis oleum, præſertim ad ſolutionem auri, in quo ſoluendo oleum tamen ſalis communis præſtare exiſtimatur.

DE SALE NITRI.

Sal nitri eſt ſal, quod ex terra conuenienti ſub dio poſita excoquitur. Terra ſalis plerunque vel abraditur ab antiquis terreis muris, vel eruitur ex ſtabulis præſertim ouium.

Modus excoquendi hic eſt: pruinoſam veterum murorum ſalſuginem abraſam in mortario in puluerem redige; Hunc in aheno & aqua pluuiali, ſat diu coque, cola per filtrum, & in dolio ligneo quieſcens in ſuperficie glaciem contrahit; quod eſt ſal nitri, in ſole exiccandum vel etiam coquitur ad abſumptionem aquæ & ſalis conſiſtentiam. Hoc nitrum purificatum & fixum magni fit in medicina, non tam ad internos affectus, quam etiam ad externos vſus.

SAL PRVNELLÆ.

Figitur & purificatur hac ratione nitrum. Liquefac paululum nitrum in forti tigillo, eo fuſo ſenſim inijce ſulphur commune fabarum magnitudine, effunde in vas aqua plenum, filtra, coagula, rurſus funde, ſulphur iniice; hoc quinquies repete, vltimo ſolue, filtra, coagula, & ita paratum eſt.

Hoc nitrum fixum maximum habet vſum in inflammationibus, febribus ardentibus. Calores enim non naturales mirifice extinguit, ſitim ſedat, ſi de eo in die æger aliquoties ſumat; ſcorbuto maxime conuenit. In pleuriſi efficax eſt medicamentum, ſi ex ſale nitri præparato, libra ſemis, tartari crudi libra vna, deſtilletur liquor fortiſſimo igne, liquor ab eo ſegregetur; & in balneo à colchotare rectificetur deſtillatione quinquies repetita.

Doſis

Doſis eius ſcrupulus vnus ad ſcrupulum vnum ſemis ſub meridiem, veſperam & mediam noctem & mane in aqua fontana vel vino optimo propinari debet: Sæpius enim adminiſtrandum eſt, vt purget per vrinam. Nitrum quoque mundificatum purificat dentes, ſi eo fricentur.

Nitrum coctum cum vino, & pipere dolorem dentium mitigat, ſi in eo continetur.

DE ALVMINE.

Alumen eſt ſalſugo quædam terræ bituminoſæ, cryſtalli fere colorem referens.

Variæ eius à iunioribus chymicis recenſentur ſpecies, vt liquidum, ſciſſile, rupeum, plumoſum, rotundum: Et ex eo à chymicis hæc præcipue medicamenta conficiuntur, phlegma & ſacharum.

PHLEGMA ALVMINIS.

Perinde fit vt phlegma vitrioli, Alumen concluſum imponatur cucurbitæ, & ſubiiciendo ignem ſecundi gradus exibit aqua, quæ phlegma aluminis dicitur. Vſus eius eſt in figendis & abluendis ſpiritibus ſeu Mercuriis, præcipitatis metallis. Adhibetur quoque in externis ſed chirurgicis ad ablutionem vulnerum & oleorum.

SACHARVM ALVMINIS.

Ab alumine deſtillatione abſtrahitur phlegma, vt prius, appoſito recipiente, ſed apertis iuncturis: phlegma illud capiti ſuo mortuo ſeu fæcibus, ex quibus elicitum fuit, affundatur, rurſus deſtillatione abſtrahitur, iſque labor quinquies aut ſexies repetitur; vltimo in liquorem per deliquium ſoluitur, liquor in balneo vel alio tepido calore ſpatio decem aut duodecim dierum maceratur; tandem lento igne in cineribus coagulatur; ac ita Sacharum Aluminis præparatum eſt.

Cuius vſus celebratur in pectoralibus morbis & præſertim in mineralibus metallurgorum. Doſis eius eſt à granis quinque ad octo in conuenienti vehiculo. Si in ſexta deſtillatione totum phlegma abſtrahitur, maſſa in fundo relicta, ad inducendam in vulneribus cicatricem valde probatur.

Digitized by Google

DE TVTIA ET CADMIA.

Hæc duo mineralia ſunt fumi quidam à metallis eleuati, & caminis officinarum fuſoriis adhærentes.

Eorum vſus eſt præcipue in externis: quoad interna nullum ſcio à medicis factum eorum experimentum.

Tutia vero maxime laudatur in affectibus oculorum, proinde collyriis admiſceri bene præparata ſolent.

Præparantur autem tum ignitione, tum extinctione in aqua roſacea, eum laborem quinquies vel ſexies repetendo.

DE LAPIDIBVS PRETIOSIS, GEMMIS, Perlis, Bolo armena, Terra ſigillata, &cæt.

Ad primam miſti corporis ſpeciem, nempe minerale, ſpectant quoque dicti lapides pretioſi, cryſtalli, perlæ, coralHa, bolus armena, &c. Lapides autem pretioſi ſunt, qui cæteris præſtant, & propter ipſorum temperantiam & ſplendorem ſummum, qui nec corrumpitur, nec ignis aliquo ardore deperditur, propter ſolam ſpirituum fixationem, qui in ipſis ſatis percipi poteſt. Sunt autem hi præcipue, qui ad medicinam à chymicis præparari ſolent, nempe Rubinus, Sapphytus, Smaragdus, Hyacinthus, Iaſpis, Granatus.

Virtus horum lapidum pretioſorum eſt ſecundum totius ſubſtantiæ proprietatem Cardiaca: tum propriam vnuſquiſque vim habet, & peculiarem ad diuerſos affectus curandos.

Sapphyrus enim potus, ſpeciatim ictos à Scorpione ſanat: Hyacinthus quoque virulentarum beſtiarum ictibus medetur & ſomnum conciliat: Smaragdus non potus modo, ſed etiam collo appenſus melancholicis affectibus confert.

Ex iis præcipue chymici extrahunt ſalem, Tincturam & oleum.

SAL GEMMARVM.

Gemmas ſeu lapides pretioſos conterunt, contritos admodum laborioſe cum ſale nitro vel gemmeo in Anemio ante folles calcinat, idque bis faciunt, poſtea eluuntur ſexies aqua cinnamomi: Deinde ſemel phlegmate aceti ſtillatitij; tandem puluerem exiccatum perfundunt optimo aceto ſtillatitio, vt acetum ſupernatet quinque digitis ſpatio octo dierum, digeruntur in calidis cineribus dum acetum

Google

tum coloratum fuerit. Hoc coloratum acetum effundatur in aliud vas vitreum, pulueri in fundo relicto nouum ſtillatitium acetum ſuperfundatur; hicque labor toties repetendus, dum non amplius coloretur acetum.

Omnes ſolutiones confundunt in vnam cucurbitam, & in arena acetum deſtillatione euocant ad ſiccitatem vſque: maſſæ in fundo relictæ affundunt aquam communem ſtillatitiam; ſoluunt, ſolutum per filtrum colant, colaturam coagulant euaporata per deſtillationē in arena aqua: tum maſſæ rurſus affundūt nouam aquam ſtillatitiam; ſoluunt ſolutum per, filtrum colant; colaturam coagulant vt prius, hunc laborem repetunt, dum omnis aceti acrimonia euanuerit, nullæque amplius fæces in filtratione appareant; tum ſali affundunt aquas vegetabilium appropriatas cum quibus digerunt, & tandem aquas etiam abſtrahunt: Ita ſal gemmarum perfectum eſt.

Doſis horum ſalium eſt plerunque à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum integrum in conueniente liquore aut alio vehiculo pro affectuum & perſonarum varietate. Itaque ſal rubini mirifice Cor, vitalemq; virtutem corroborat.

Sal ſaphyri ad inſaniam, peſtilentiam, carbunculos & cordis palpitationem eſt vtilis.

Sal ſmaragdi Melancholicis affectibus confert, & ne caducus redeat, arcet.

Hyacinthi ſal venenis, venenatiſque morſibus obſtat.

Iaſpidis ſal ſtomachum confortat, & partum accelerat.

Granatorum autem ſal ad cordis tremorem, ſputumque ſanguinis eſt commodum.

Ex iſtis ſalibus dicto modo præparatis, ſequenti modo Tinctura ad omnia iam enumerata multo efficacior extrahitur.

Sali præparato vt prius, affunditur ſpiritus vini optimus ad eminentiam trium digitorum, digeritur in balneo, tum ſpiritus vini à tinctura abſtrahitur ad liquoris conſiſtentiam, ita manet in fundo pretioſarum gemmarum Tinctura, ad ſuperiores affectus ſuo ſale longe efficacior, nobiliorque.

Ex ſale quoq; per deliquium conficitur oleum ad eadem accommodum; quemadmodum ex tinctura per cohobia cum ſpiritu vini, addita Cam-

dita Camphora, per deſtillationem elicitur oleum efficaciſſimum, ſed laborioſiſſimæ præparationis.

DE PERLIS.

Lapidibus pretioſis finitimæ maxime ſunt perlæ & corallia, quæ inſignem quoque obtinent cardiacam facultatem.

Summum arcanum in perlis conſiſtit contra phthiſim & conſumptionem corporis, nihil eſt, quod humidum radicale magis conſeruet, quam medicamenta ex perlis artificioſe & legitime arte ſpagyrica præparata, reſtituunt vires amiſſas & membra principalia confortant.

Præparantur autem ex his hæc præcipue medicamenta, nempe, ſal, Tinctura, & oleum.

SAL GEMMARVM.

Perlæ non perforatæ contunduntur, contuſæ induntur vitreo vaſi, eiſque affunditur acetum ſtillatitium optimum ad eminentiam trium digitorum, vaſeque vitreo bene clauſo, appoſitoque cæco alembico ſinuntur ſtare in cineribus calore lento, ſpatio aliquot dierum, dum acetum coloratum fuerit, & ſubrubrum euaſerit. Tum aperto vaſe acetum leuiter abſque perturbatione effunditur in aliud vas vitreum mundum: perlis in fundo relictis iterum nouum acetum ſtillatitium affunditur ad priorem eminentiam; digeruntur, vt prius, calore dicto, coloratumque acetum tandem denuo effunditur: iſque labor repetitur, dum acetum colorari deſinat, omniſque color extractus fuerit, & præter fæces in fundo reſideat nihil: ſolutiones omnes confundantur in vno vitro: acetum deſtillatione in arena extrahitur ad ſiccitatem vſque: maſſæ in fundo relictæ affunditur aqua communis ſtillatitia, ad eminentiam quinque vel ſex digitorum, ſoluitur in calore, idque ſpatio duarum horarum; ſolutio per filtrum mundum colatur; colatura euaporata aqua congelatur in maſſam; denuo huic aqua noua ſtillatitia affunditur, ſoluitur, colatur, coagulatur vt prius, iſque labor repetitur, dum omnis aceti acrimonia euanuerit, & in filtratione nullæ fæces remaneant.

Super hunc ſalem affundetur aqua bugloſſæ, optime deſtillata cum qua digeritur ſpatio quatuor vel quinque dierum; inde deſtillatione

tione aqua abſtrahitur, ſal in fundo relictus, exiccatus, ſubtiliſſime teritur & vitreo vaſe ad vſum reſeruatur.

Doſis eius ſalis eſt à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum vnum ex humore aliquo conuenienti ſumetur ad reſolutionem neruorum & conuulſionem; item ad marcorem ſenilem, item ad phrenitidem conducit; corpus ſanum conſeruat, læſum vero priſtinæ ſanitati reſtituit, lac muliebre emendat, augetque naturalium partium vires, Item abſceſſibus, vlceribus, cancro & hæmorrhoidibus medetur, ex hoc ſale hac via Tinctura elicitur.

TINCTVRA PERLARVM.

Sal Margaritarum indatur vitro, ſuperaffundaturque ſpiritus vini optimus ad eminentiam trium digitorum, appoſito cæco alembico, clauſiſque optime iuncturis digeratur in calore lentiſſimo, donec vini ſpiritus tingatur: hunc tinctum ſpiritum aperto vaſe leniter affundas, nouum ſali in fundo relicto affundendo & procedendo, vt priùs: totieſque repetendo, donec vini ſpiritus non amplius tingatur, & tota tinctura euocata fuerit: tunc omnem ſpiritum tinctum in balneo lentiſſimo calore à tinctura per deſtillationem abſtrahes dum craſſiuſculi liquoris inſtar in fundo tinctura remanſerit.

OLEVM PERLARVM.

Quod ſi ex ea tinctura oleum conficere deſideres, denuo affunde tincturæ ſpiritum vini abſtractum, addita pauca Camphora, ita vt ad libram vnam tincturæ margaritarum ſit camphoræ vncia ſemis, digere, deſtillationem repete, primo lento igne, dum maxima pars ſpiritus vini per alembicum aſcenderit, tum muta recipientem, & fortifica ignem & videbis tandem aſcendere materiam flauam craſſiuſculam mellis.

Hæc eſt vera margaritarum eſſentia inſigne decus vitæ.

Ad eadem, ad quæ ſal conuenit, Tinctura & oleum conducunt, ſed maiori cum efficacia. Exhibentur autem tincturæ ſex vel octo guttæ, olei tres vel quatuor cum iuſculo competente, quod ſtatim lactis inſtar dealbatur, ad cordis corroborationem, & vires reficiendas, putredini quoque Cor obſidenti, peſtique & venenis obſiſtunt.

DE MATRE PERLARVM.

Eodem plane modo, quo ex Perlis conficiuntur medicamenta chymica ex matre quoque perlarum præparantur medicamenta. Habent autem talia ſpecificam vim ad matricem confortandam, conceptionem promouent, & febribus vtilia ſunt. Adminiſtrantur ſemper cum conuenienti liquore. Doſis eſt plerunque à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum integrum.

DE CORALLIIS.

Qua via medicamenta chymica ex margaritis eliciuntur, eadem quoque ex corallis præparantur: niſi quod quidam corallia calcinent, quod tamen ſuperuacaneum exiſtimo.

Quod ſi tamen cui calcinatio placuerit, calcinent cum tanta induſtria, ne color pereat: fieri autem id poteſt in reuerberatorio ſecundi gradus, deinde peracta ablutione cum aqua communi ſtillatitia, digerendus eſt ſal coralliorum cum aqua roſarum rubearum, vel alia hepatica, aut cichorei, Agrimoniæ vel fumiterræ.

Hæc medicamenta ex coralliis præparata rectificant ſanguinem & omnem ſuperfluitatem aut noxam eius mirabiliter conſumunt: mulieribus etiam ſanguinem menſtruum, ſi iuſto tempore non fluit, promouent, & in temperamentum reducunt; ſi vero abundet eundem ſiſtunt: Sanguinis reiectioni medentur, aſtringendo ſtomachum corroborant, dyſenteriam curant, cerebrum confortant, morbum comitialem ſeu caducum repellunt.

In hæmatoſi epatis corroboranda nihil hiſce medicamentis præſtantius reperiri poteſt. Eadem quoque Melancholiam & inſaniam curant, venenis reſiſtunt omnibus.

In ſumma omnes interiorum partium affectus radicitus euellunt, & corpus cœleſti quadam vi in temperatum quendam habitum abſolutamque & exquiſitam moderationem reſtituunt.

Doſis autem horum medicamentorum eſt, ſalis à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum vnum: Tincturæ à guttis octo ad duodecim, olei à guttis quatuor ad ſex in conuenienti liquore, aut alio vehiculo pro affectuum & perſonarum varietate.

DE CRYSTALLIS.

Ad lapides quoque pretioſos referuntur cryſtalli; quorum magnus

gnus eſt vſus in medicina, præſertim ſi chymice & dextre præparati ſunt. Virtus eorum maxime conſiſtit in tartaro reſoluendo, calculoque expellendo.

Præparantur autem ex eis hæc maxime medicamenta: Sal, tinctura & oleum, eodem fere modo, quo ex lapidibus pretioſis.

Additur autem ſali, ab acredine vindicato aceti, aqua petroſelini cum qua digeritur, & in extractione tincturæ additur ſpiritus vini therebintinus.

Doſis ſalis cryſtallini eſt ſcrupulus ſemis ad integrum.

Tincturæ à guttis octo ad duodecim. Olei à guttis quatuor ad ſex. Oleum vero per deliquium è ſale factum valde probatur ad podagricos dolores exterius tanquam topicum adhibitum.

BOLVS ARMENA, TERRA SIGILLATA.

Sic ex bolo armena & terra ſigillata extrahuntur præſtãtiſſima medicamenta ad peſtilentiales affectus, venenâque hauſta, & omnem hæmorrhagiam & ſanguinem vndiquaque manentem ſiſtendum; quanquam & non præparata ad hoc ſatis ſint efficacia.

Atque hæc dicta ſufficiant de mineralium veris in Medicina præparationibus chymicis.

FINIS.

A61 1456521

ſe in mundo ſublimatorio vitreo ſublimetur: ex eo per deliquium fit aqua, quę ſalis ammoniaci aqua nominatur.

DE MINIMIS MINERALIBVS.

Minima mineralia ſunt, quæ procul à mercuriali principio diſtant, & ad maiora duntaxat repurganda elaborandaq; adiumentum præbent: ſunt autem hæc præcipuè, calchantum, ſal commune, ſal gemmæ, Nitrum, Alumen, Tutia, Cadmia.

Ad mineralia quoque reducuntur lapides pretioſi, bolus armena, terra ſigillata, cæteraque omnia, quæ in terra per miſtionem abſque vegetationis principio naturæ ſuæ originem trahunt.

DE CALCHANTO.

Calchantum eſt ſuccus mineralis, naturæ ærosæ, conſtans ex terra ærosa, alumine & ſulphure.

Ex eo varia tum ad internos, quam externos affectus præparantur medicamenta; nempe phlegma, ſpiritus, oleum, colchotar, creta vitrioli & Alkali.

Phlegma & ſpiritus ad Epilepſiam populſandam conferunt: oleum ſtomachum corroborat: Colchotar, creta & alkali chirurgicis affectibus.

SPIRITVS VITRIOLI CVM PHLEgmate.

Vitriolum optimum in aqua communi ſtillatitia diſſolue, ſolutum per filtrum coletur, colatum ad tertias igne leui euaporari ſinatur, dum pelliculam contraxerit, inde vaſi indatur oblongus baculus, vt ei ſal vitrioli in loco frigido adhæreſcat: Salem hunc exiccatum, ſi non ſatis fuerit (ſcilicet depuratus) iterum ſoluas, coles, depureſque, procedendo ſuperiore modo: quem ſatis depuratum indes cucurbitæ vitreæ ſatis ampli orificij luto obductæ, cui ſuperaffundatur ſpiritus vini optimus, vt fiat paſta, appoſitoque alembico, indatur cucurbita furno ignis aperti, apponatur recipiens ſatis amplum, clauſis iterum rite omnibus iuncturis inſtituatur deſtillatio, primo lentiſſimo igne, vt ſpiritus vini euocetur, mox aucto igne, vt phlegma quoque aſcendat, tandem incipientibus prouenire ſpiritibus ignis augeatur ſenſim, dum fiat fortiſſimus, & vitrum liqueſcere prę nimio calore in-

lore incipiat: quo pacto ſinatur ignis extingui, vaſaque refrigerari: vaſis eximatur liquor, & in balneo Mariæ ſeparetur ſpiritus vini à phlegmate & ſpiritus vitrioli, deinde abſtrahatur phlegma à ſpiritu vitrioli, dum incipiant guttæ aceſcere, tum appoſito nouo recipiente pellatur quoque ſpiritus per arenam.

Paracelſus deſtillatum ſpiritum vna cum phlegmate & vini ſpiritu, iterum affundit capiti mortuo, vt prius, idque nouies repetit, factis ſemper cohobiis, quod vocat ſpiritum vitrioli deſtillare in nouum alembicum. Ita igne fortiſſimo facit aſcendere etiam ſiccos ſpiritus, quos cum humidis coniungit, & digerendo vnit. Verum ratio hæc Paracelſi conficiendi ſpiritum vitrioli, non probatur hiſce de cauſis.

Primo, quòd in iſtis reiteratis deſtillationibus & cohobiis, ſubtiliſſimæ partes iſtius ſpiritus euaneſcunt, tam deſtillando, quam etiam affundendo propter ſummum calorem, qui ex liquoris & capitis mortui contactu mutuo in affuſione excitatur.

Secundo, timendum eſt, ne in affuſione, quemadmodum & in difficilimis iſtis reiteratis deſtillationibus vaſa vitrea frangantur, vt ita opera & oleum perdatur. Quod ſi tamen hic modus cuipiam placeret, pedetentim liquorem capiti mortuo trito affundat, & in deſtillationibus cucurbitæ ſint luto forti & tenaci probe obductæ, & iuncturæ bene clauſæ. Suffecerint tamen quatuor ad ſummum cohobia facta, quibus viſcoſitas propter quam reiteratæ deſtillationes inſtituuntur, ſatis attenuabitur, quemadmodum corroſiuitas tollitur affuſione ſpiritus vini. Eſt hic ſpiritus vitrioli ad Epilepſiam profligandam, vt dictum eſt, vtiliſſimum medicamentum, præſertim additione facta, vt ſcilicet ſpiritus vitrioli accipiatur pars vna, ſpiritus tartari partes tres, aquæ theriacalis, camphoratæ partes quatuor, miſceantur & vitro bene clauſo per tres aut quatuor ſeptimanas probe digerantur. Huius doſis vitriolatæ eſt drachma vna in conuenienti liquore & vehiculo, pro perſonarum & affectuum varietate adminiſtrata.

In Epilepſia hac miſtura nullum medicamentum præſtantius exoptari poteſt, pleuritidis, vt ſæpe fæliciſſimo ſucceſſu expertus ſum, præſens eſt remedium. Omnes obſtructiones viſcerum mirifice reſerat, inflammationes ſedat. Omne venenum à corde ad exteriores partes per ſudores expellit, febrium æſtum compeſcit, earumque ma-

Digitized by Google

teriam conſumit. Melancholicis prodeſt cum aqua bugloſſæ aut borraginis materiam frigidam calefacit, aſcenſumque eius à materia frigida curat, menſtrua promouet ſuperfluaque ſiſtit. In ſumma, in infinitis grauiſſimis morbis eſt Diaphoreticum præſtantiſſimum: partium enim tenuitate citiſſime abſque vlla moleſtia vniuerſum corpus penetrat. Spiritus vero vitrioli per ſe ſumpti doſis eſt ſcrupulus ſemis ad ſcrupulum vnum in conuenienti liquore, quemadmodum phlegmatis doſis à ſcrupulo vno ad ſcrupulos duos.

COLCHOTAR.

Eſt vitriolum ad rubedinem calcinatum, ſiue in deſtillatione ſpiritus ſui, ſiue alioquin in vaſe aperto.

Ex hoc Colchotare fit oleum, creta & Alkali.

OLEVM VITRIOLI HAC RATIONE conficitur.

Recipe Colchotar, fac ebullire in vitro albo ad ſiccitatem vſque, poſtea tere & repone in retortam, & lento igne deſtilla: primo exibit aqua clara, tandem vrgendo ignem donec fiat fortiſſimus, deſtillabitur oleum rubrum, vt ſanguis, à quo phlegma primo ſeparandum: accipe tantundem de optimo ſpiritu vini, ſimul miſce ſine digere, & in pellecano circulari ſinito, ſpatio duarum vel trium ſeptimanarum.

Tandem ſpiritus vini ab eo ſeparetur deſtillatione. Oleum quoque per arenam ad maiorem purificationem euocatur.

Doſis eius eſt à guttis quatuor ad octo: mirifice ſtomachum roborat, ſi in aqua abſinthij, menthæ, aut ſimili ſyrupo exhibeatur.

Cum ſyrupo cydoniorum vomitum reſtringit: Vermes puerorum cum Iulepo roſaceo necat: Eſt enim acetoſitate ſua ſpecifica materia, de qua moriuntur vermes; præter acetoſitatem autem habet etiam in ſe facultatem laxandi.

CRETA VITRIOLI.

Quere. in 105. Colchotar ſoluatur in aqua calida & rubor per ipſam diffuſus ſeparetur, poſt exhaletur: quod remanet extracta omni rubedine, creta vi-

ta vitrioli dicitur. Cuius vſus eſt in chirurgicis ad inducendam cicatricem in vulneribus.

Ex hac creta reiteratis ſolutionibus & filtrationibus extrahitur Alkali ad eoſdem vſus accommodatiſſimum, quod etiam contra vermes ſequenti modo, intro ſumi poteſt.

Recipe Alkali de colchotare ſcrupulum vnum, agarici, liquoris centaurei, calaminthæ ana grana decem, olei de myrrha quantum ſufficit, vt fiat veluti paſta. Fiunt trochiſci, dentur infanti grana quinque, viro decem.

DE SALE COMMVNI.

Quid ſal commune ſit, non opus eſt explicare, cum hoc omnibus notiſſimum ſit, ob tantam neceſſitatem, vt eo carere non poſſimus.

Virtus eius eſt calefacere, ſiccare, extenuare, diſſoluere, diſcutere, abſtergere, aſtringere, ſuperfluos quoſque humores conſumere.

Præparatur autem ex eo oleum, quod ad plura eſt vtiliſſimum medicamentum. Hoc autem pluribus modis deſtillatur: inter quos maxime placet ſequens.

OLEVM SALIS.

Sal prius ſoluatur in aqua ſtillatitia, ſolutum filtretur, deinde in euaporatione aquam coagula: huius coagulati ſalis recipe partem vnam, terræ luteæ ſiccæ partes duas, miſceantur, indantur retortæ triplici luto munitæ: deſtilla in aperto igne, dum nulli ſpiritus amplius exeant: hinc refrigeratis vaſis liquorem exime, affunde ſuper nouum ſalem, deſtilla vt prius, idque reitera ſepties vel octies igne ſatis violento: tandem in balneo ſeparetur phlegma ab oleo, quod ſerua vitro bene clauſo. In hoc oleo ſoluitur Aurum. Eius vſus eſt in hydrope ad ſedandam ſitim, ſi guttæ eius tres vel quatuor exhibeantur in aqua acetoſæ, Endiuiæ vel ſimili liquore conuenienti hepati.

Quod ad ſaporem attinet, non ita acidum eſt oleum ac ſal, ſed aut dulcedinem mellis, aut ſucci pomorum ſylueſtrium plurimum refert. Oleum ſalis cum oleo therebintinæ, ceræ chamomillæ, verbaſci, & ſimilib. commiſtum dolores podagricos ſedat, tophos diſcutit,

membra conuulſa,ſi eo fricentur,reſtituit,abſceſſibus medetur,ramices curat.

DE SALE GEMMÆ.

Sal gemmæ eſt ſal albiſſimum, generaliter in fodinis creſcit,nec alia ab artifice inducta præparatione,vt ſal cōmune,quod vel ex mari,vel ex aqua minerali ſalſa per coctionē fit indiget.Ex eo extrahitur liquor eodem modo, quo ex ſale communi, qui & oleum & ſpiritus ſalis gemmei à chymicis vocatur. Ad eadem fere vſurpatur, ad quæ ſalis communis oleum, præſertim ad ſolutionem auri,in quo ſoluendo oleum tamen ſalis communis præſtare exiſtimatur.

DE SALE NITRI.

Sal nitri eſt ſal, quod ex terra conuenienti ſub dio poſita excoquitur. Terra ſalis plerunque vel abraditur ab antiquis terreis muris, vel eruitur ex ſtabulis præſertim ouium.

Modus excoquendi hic eſt: pruinoſam veterum murorum ſalſuginem abraſam in mortario in puluerem redige; Hunc in aheno & aqua pluuiali, ſat diu coque, cola per filtrum, & in dolio ligneo quieſcens in ſuperficie glaciem contrahit; quod eſt ſal nitri, in ſole exiccandum vel etiam coquitur ad abſumptionem aquæ & ſalis conſiſtentiam. Hoc nitrum purificatum & fixum magni fit in medicina, non tam ad internos affectus, quam etiam ad externos vſus.

SAL PRVNELLÆ.

Figitur & purificatur hac ratione nitrum. Liquefac paululum nitrum in forti tigillo,eo fuſo ſenſim inijce ſulphur commune fabarum magnitudine, effunde in vas aqua plenum, filtra, coagula, rurſus funde,ſulphur iniice;hoc quinquies repete, vltimo ſolue, filtra, coagula,& ita paratum eſt.

Hoc nitrum fixum maximum habet vſum in inflammationibus, febribus ardentibus. Calores enim non naturales mirifice extinguit, ſitim ſedat, ſi de eo in die æger aliquoties ſumat; ſcorbuto maxime conuenit. In pleuriſi efficax eſt medicamentum, ſi ex ſale nitri præparato, libra ſemis, tartari crudi libra vna, deſtilletur liquor fortiſſimo igne,liquor ab eo ſegregetur; & in balneo à colchotare rectificetur deſtillatione quinquies repetita.

Doſis

Digitized by Google

Doſis eius ſcrupulus vnus ad ſcrupulum vnum ſemis ſub meridiem, veſperam & mediam noctem & mane in aqua fontana vel vino optimo propinari debet: Sæpius enim adminiſtrandum eſt, vt purget per vrinam. Nitrum quoque mundificatum purificat dentes, ſi eo fricentur.

Nitrum coctum cum vino, & pipere dolorem dentium mitigat, ſi in eo continetur.

DE ALVMINE.

Alumen eſt ſalſugo quædam terræ bituminoſæ, cryſtalli fere colorem referens.

Variæ eius à iunioribus chymicis recenſentur ſpecies, vt liquidum, ſciſſile, rupeum, plumoſum, rotundum: Et ex eo à chymicis hæc præcipue medicamenta conficiuntur, phlegma & ſacharum.

PHLEGMA ALVMINIS.

Perinde fit vt phlegma vitrioli, Alumen concluſum imponatur cucurbitæ, & ſubiiciendo ignem ſecundi gradus exibit aqua, quæ phlegma aluminis dicitur. Vſus eius eſt in figendis & abluendis ſpiritibus ſeu Mercuriis, præcipitatis metallis. Adhibetur quoque in externis ſed chirurgicis ad ablutionem vulnerum & oleorum.

SACHARVM ALVMINIS.

Ab alumine deſtillatione abſtrahitur phlegma, vt prius, appoſito recipiente, ſed apertis iuncturis: phlegma illud capiti ſuo mortuo ſeu fæcibus, ex quibus elicitum fuit, affundatur, rurſus deſtillatione abſtrahitur, iſque labor quinquies aut ſexies repetitur; vltimo in liquorem per deliquium ſoluitur, liquor in balneo vel alio tepido calore ſpatio decem aut duodecim dierum maceratur; tandem lento igne in cineribus coagulatur; ac ita Sacharum Aluminis præparatum eſt.

Cuius vſus celebratur in pectoralibus morbis & præſertim in mineralibus metallurgorum. Doſis eius eſt à granis quinque ad octo in conuenienti vehiculo. Si in ſexta deſtillatione totum phlegma abſtrahitur, maſſa in fundo relicta, ad inducendam in vulneribus cicatricem valde probatur.

Digitized by Google

DE TVTIA ET CADMIA.

Hæc duo mineralia ſunt fumi quidam à metallis eleuati, & caminis officinarum fuſoriis adhærentes.

Eorum vſus eſt præcipue in externis: quoad interna nullum ſcio à medicis factum eorum experimentum.

Tutia vero maxime laudatur in affectibus oculorum, proinde collyriis admiſceri bene præparata ſolent.

Præparantur autem tum ignitione, tum extinctione in aqua roſacea, eum laborem quinquies vel ſexies repetendo.

DE LAPIDIBVS PRETIOSIS, GEMMIS, Perlis, Bolo armena, Terra ſigillata, &cæt.

Ad primam miſti corporis ſpeciem, nempe minerale, ſpectant quoque dicti lapides pretioſi, cryſtalli, perlæ, corallia, bolus armena, &c. Lapides autem pretioſi ſunt, qui cæteris præſtant, & propter ipſorum temperantiam & ſplendorem ſummum, qui nec corrumpitur, nec ignis aliquo ardore deperditur, propter ſolam ſpirituum fixationem, qui in ipſis ſatis percipi poteſt. Sunt autem hi præcipue, qui ad medicinam à chymicis præparari ſolent, nempe Rubinus, Sapphyrus, Smaragdus, Hyacinthus, Iaſpis, Granatus.

Virtus horum lapidum pretioſorum eſt ſecundum totius ſubſtantiæ proprietatem Cardiaca: tum propriam vnuſquiſque vim habet, & peculiarem ad diuerſos affectus curandos.

Sapphyrus enim potus, ſpeciatim ictos à Scorpione ſanat: Hyacinthus quoque virulentarum beſtiarum ictibus medetur & ſomnum conciliat: Smaragdus non potus modo, ſed etiam collo appenſus melancholicis affectibus confert.

Ex iis præcipue chymici extrahunt ſalem, Tincturam & oleum.

SAL GEMMARVM.

Gemmas ſeu lapides pretioſos conterunt, contritos admodum laborioſe cum ſale nitro vel gemmeo in Anemio ante folles calcinat, idque bis faciunt, poſtea eluuntur ſexies aqua cinnamomi: Deinde ſemel phlegmate aceti ſtillatitij; tandem puluerem exiccatum perfundunt optimo aceto ſtillatitio, vt acetum ſupernatet quinque digitis ſpatio octo dierum, digeruntur in calidis cineribus dum ace-

tum

Digitized by Google

rum coloratum fuerit. Hoc coloratum acetum effundatur in aliud vas vitreum, pulueri in fundo relicto nouum ſtillatitium acetum ſuperfundatur; hicque labor toties repetendus, dum non amplius coloretur acetum.

Omnes ſolutiones confundunt in vnam cucurbitam & in arena acetum deſtillatione euocant ad ſiccitatem vſque: maſſæ in fundo relictæ affundunt aquam communem ſtillatitiam; ſoluunt, ſolutum per filtrum colant, colaturam coagulant euaporata per deſtillationē in arena aqua: tum maſſæ rurſus affundūt nouam aquam ſtillatitiam; ſoluunt ſolutum per, filtrum colant; colaturam coagulant vt prius, hunc laborem repetunt, dum omnis aceti acrimonia euanuerit, nullæque amplius fæces in filtratione appareant; tum ſali affundunt aquas vegetabilium appropriatas cum quibus digerunt, & tandem aquas etiam abſtrahunt: Ita ſal gemmarum perfectum eſt.

Doſis horum ſalium eſt plerunque à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum integrum in conueniente liquore aut alio vehiculo pro affectuum & perſonarum varietate. Itaque ſal rubini mirifice Cor, vitalemq; virtutem corroborat.

Sal ſaphyri ad inſaniam, peſtilentiam, carbunculos & cordis palpitationem eſt vtilis.

Sal ſmaragdi Melancholicis affectibus confert, & ne caducus redeat, arcet.

Hyacinthi ſal venenis, venenatiſque morſibus obſtat.

Iaſpidis ſal ſtomachum confortat, & partum accelerat.

Granatorum autem ſal ad cordis tremorem, ſputumque ſanguinis eſt commodum.

Ex iſtis ſalibus dicto modo præparatis, ſequenti modo Tinctura ad omnia iam enumerata multo efficacior extrahitur.

Sali præparato vt prius, affunditur ſpiritus vini optimus ad eminentiam trium digitorum, digeritur in balneo, tum ſpiritus vini à tinctura abſtrahitur ad liquoris conſiſtentiam, ita manet in fundo pretioſarum gemmarum Tinctura, ad ſuperiores affectus ſuo ſale longe efficacior, nobiliorque.

Ex ſale quoq; per deliquium conficitur oleum ad eadem accommodum; quemadmodum ex tinctura per cohobia cum ſpiritu vini, addita Cam-

dita Camphora, per deſtillationem elicitur oleum efficaciſſimum, ſed laborioſiſſimæ præparationis.

DE PERLIS.

Lapidibus pretioſis finitimæ maxime ſunt perlæ & corallia, quæ inſignem quoque obtinent cardiacam facultatem.

Summum arcanum in perlis conſiſtit contra phthiſim & conſumptionem corporis, nihil eſt, quod humidum radicale magis conſeruet, quam medicamenta ex perlis artificioſe & legitime arte ſpagyrica præparata, reſtituunt vires amiſſas & membra principalia confortant.

Præparantur autem ex his hæc præcipue medicamenta, nempe, ſal, Tinctura, & oleum.

SAL GEMMARVM.

Perlæ non perforatæ contunduntur, contuſæ induntur vitreo vaſi, eiſque affunditur acetum ſtillatitium optimum ad eminentiam trium digitorum, vaſeque vitreo bene clauſo, appoſitoque cæco alembico ſinuntur ſtare in cineribus calore lento, ſpatio aliquot dierum, dum acetum coloratum fuerit, & ſubrubrum euaſerit. Tum aperto vaſe acetum leuiter abſque perturbatione effunditur in aliud vas vitreum mundum: perlis in fundo relictis iterum nouum acetum ſtillatitium affunditur ad priorem eminentiam; digeruntur, vt prius, calore dicto, coloratumque acetum tandem denuo effunditur: iſque labor repetitur, dum acetum colorari deſinat, omniſque color extractus fuerit, & præter fæces in fundo reſideat nihil: ſolutiones omnes confundantur in vno vitro: acetum deſtillatione in arena extrahitur ad ſiccitatem vſque: maſſæ in fundo relictæ affunditur aqua communis ſtillatitia, ad eminentiam quinque vel ſex digitorum, ſoluitur in calore, idque ſpatio duarum horarum; ſolutio per filtrum mundum colatur; colatura euaporata aqua congelatur in maſſam; denuo huic aqua noua ſtillatitia affunditur, ſoluitur, colatur, coagulatur vt prius, iſque labor repetitur, dum omnis aceti acrimonia euanuerit, & in filtratione nullæ fæces remaneant.

Super hunc ſalem affundetur aqua bugloſſæ, optime deſtillata cum qua digeritur ſpatio quatuor vel quinque dierum; inde deſtilla-

tione

tione aqua abſtrahitur; ſal in fundo relictus, exiccatus, ſubtiliſſime teritur & vitreo vaſe ad vſum reſeruatur.

Doſis eius ſalis eſt à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum vnum ex humore aliquo conuenienti ſumetur ad reſolutionem neruorum & conuulſionem; item ad marcorem ſenilem, item ad phrenitidem conducit; corpus ſanum conſeruat, læſum vero priſtinæ ſanitati reſtituit, lac muliebre emendat, augetque naturalium partium vires, Item abſceſſibus, vlceribus, cancro & hæmorrhoidibus medetur, ex hoc ſale hac via Tinctura elicitur.

TINCTVRA PERLARVM.

Sal Margaritarum indatur vitro, ſuperaffundaturque ſpiritus vini optimus ad eminentiam trium digitorum, appoſito cæco alembico, clauſiſque optime iuncturis digeratur in calore lentiſſimo, donec vini ſpiritus tingatur: hunc tinctum ſpiritum aperto vaſe leniter affundas, nouum ſali in fundo relicto affundendo & procedendo, vt prius: totieſque repetendo, donec vini ſpiritus non amplius tingatur, & tota tinctura euocata fuerit: tunc omnem ſpiritum tinctum in balneo lentiſſimo calore à tinctura per deſtillationem abſtrahes dum craſſiuſculi liquoris inſtar in fundo tinctura remanſerit.

OLEVM PERLARVM.

Quod ſi ex ea tinctura oleum conficere deſideres, denuo affunde tincturæ ſpiritum vini abſtractum, addita pauca Camphora, ita vt ad libram vnam tincturæ margaritarum ſit camphoræ vncia ſemis, digere, deſtillationem repete, primo lento igne, dum maxima pars ſpiritus vini per alembicum aſcenderit, tum muta recipientem, & fortifica ignem & videbis tandem aſcendere materiam flauam craſſiuſculam mellis.

Hæc eſt vera margaritarum eſſentia inſigne decus vitæ.

Ad eadem, ad quæ ſal conuenit, Tinctura & oleum conducunt, ſed maiori cum efficacia. Exhibentur autem tincturæ ſex vel octo guttæ, olei tres vel quatuor cum iuſculo competente, quod ſtatim lactis inſtar dealbatur, ad cordis corroborationem, & vires reficiendas, putredini quoque Cor obſidenti, peſtique & venenis obſiſtunt.

gnus eſt vſus in medicina, præſertim ſi chymice & dextre præparati ſunt. Virtus eorum maxime conſiſtit in tartaro reſoluendo, calculoque expellendo.

Præparantur autem ex eis hæc maxime medicamenta: Sal, tinctura & oleum, eodem fere modo, quo ex lapidibus pretioſis.

Additur autem ſali, ab acredine vindicato aceti, aqua petroſelini cum qua digeritur, & in extractione tincturæ additur ſpiritus vini therebintinus.

Doſis ſalis cryſtallini eſt ſcrupulus ſemis ad integrum.

Tincturæ à guttis octo ad duodecim. Olei à guttis quatuor ad ſex. Oleum vero per deliquium è ſale factum valde probatur ad podagricos dolores exterius tanquam topicum adhibitum.

BOLVS ARMENA, TERRA SIGILLATA.

Sic ex bolo armena & terra ſigillata extrahuntur præſtãtiſſima medicamenta ad peſtilentiales affectus, venenâque hauſta, & omnem hæmorrhagiam & ſanguinem vndiquaque manentem ſiſtendum; quanquam & non præparata ad hoc ſatis ſint efficacia.

Atque hæc dicta ſufficiant de mineralium veris in Medicina præparationibus chymicis.

FINIS.

A41 1456511

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C.19